

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
SISTENS
SEMIOTICEN
OCULI HUMANI,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT
Carolus Grosse,

Bohemus Pragensis.

In theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 26. Februarii 1831.

Vindobonae,
ex typographia viduae Stöckholzer de Hirschfeld.

Οφθαλμοὶ ὡς ἂν ἰσχύωσιν, οὐτῶ καὶ γυῖον.

Ἰπποκράτ. Εἰδικήμ. τοῦ Ἐκτον.

Τμήμα τέταρτον.



Perillustri ac celeberrimo

Domino Domino

Joanni Nep.

Nobili a Kaimann,

Suae Sacr. Caes. Reg. Apost. Majestatis Archiatro;
ad inclytum regimen Austriae inferioris a consiliis;
Nosocomii universalis et Brephotrophei directori, praeseos medicae, pathologiae et therapiae specialis in universitate Vindobonensi professori p. o. optime emerito; academiae Josephinae medico - chirurgicae, societatis physico-medicae Dresdensis, philosophico - medicae Wuerceburgensis, medico-chirurgicae Berolinensis sodali honorario, etc. etc.

has pagellas

in summae venerationis et perennis gratitudinis specimen

dicat

devinctissimus discipulus.

§. 1.

Oculus, decus et flos faciei humanae, speculum vivum mundi externi, et imago fidelis interni, — custos domini vigil, non raro proditor ingratus, — altera, muta et tamen eloquentissima lingua, — atrium cognitionum vastarum, vinculum culturae, — miseri solatium, terror rei, sceleris testis, innocentiae scutum, — morbum et sanitatem refulgens medicorum dux certus! — Quis est, qui sub uno alterove respectu oculum saltem semel non aestimasset, timuisset aut secutus fuisset! — Ab omni aevo objectum laudis poëseos, imitationis artium plasticarum, contemplationis sagacis physiognomicae, studii psychologici, scrutinii severi medici, dignum certe disquisitionis nostrae. —

§. 2.

Pleno jure ponitur quaestio: Undenam tanta oculi dignitas? tantus honor? cur in vita communi testimonio oculi tanta fides habetur? — cur medicus forensis, judex, sacerdos per oculum secreta in imis animi penetralibus latentia scrutatur? — cur medicus practicus ad aegrum accedens tam rigoroso subjicit bulbum examini? — spem aut timorem ex eo concipiens. — Solutio quaestionis merito a medico petitur. Brevis his datur: Quo nobilior organon, quoad functionem et structuram, — quo magis hac sua perfectione ad dignitatem organismi autocrati elevatur; — quo intimior ejus relatio ad psychen, — quo arctior et magis multiplex nexus cum reliquo organismo ejusque organis et his nobilioribus ipsis: eo facilius et citius quamvis mutationem psychicam et somaticam recipit, eo certius et luculentius hanc receptam reflectit et effatur. —

Ita oculus. — Uberior dilucidatio in sequentibus. Retractus in osseum cavum, textu celluloso involutus et ab adjacente vivo separatus, — palpebris et conjunctiva ab externis potentiis munitus, bulbus oculi, propriis musculis mobilis, nervis sensui, motui et vegetationi inservientibus donatus, glandulas diversae structurae et functionis in vicinitate gerens, — hinc substrata sensilitatis, irritabilitatis et vitae vegetativae evoluta prae se ferens, vitam vivit solitariam, non dependentem, magis, quam quodcumque aliud organismi organon. Hinc est, cur toties morbo affligatur, illaeso reliquo, cui adfixus haeret, corpore, — et vice-versa, cur morbo reliquum organismum vincenti introitum pertinaciter neget, — hinc, cur morbi oculi theoretice et practice tam diu separati ab illis reliqui hominis fuerint, explicandum.

Nihilominus, illaesa hac sua autocratia, manet bulbus pars organismi totius, iisdem cum hoc obediens legibus sanae et abnormis vitae, cum certis organismi partibus ob similitudinem structurae et functionis, ob continuitatem membranarum, nervorum, vasorum, textus cellularis in intimo consensu, nunc sympathico, nunc antagonistico vivens. — Hujus autem consensus, causam utilitatis oculi qua signi pro medico recludentis, largiorem explicationem poscit thematis dignitas.

§. 3.

1. Bulbus, qua pars totius organismi, omnes, quas hic in totalitate sua experitur, subeat mutationes necesse est. — Hinc, physiologice consideratus, evolvitur bulbus cum primis simul rudimentis reliqui corporis, — hinc juventutis tempore aetatis fervorem refulget, — hinc consenescit simul cum organismo. Ex eadem causa in statu pathologico languet cum languescente, marcescit cum tabescente reliquo toto corpore.

2. Bulbus, nervorum cerebralium secundo, tertio, quarto et sexto pari, primoque ramo quinti paris cum cerebro ipso, — dura vagina nervi optici et periorbita cum meningibus, — cum cerebro ejusque velamentis per vasa et vicinitatem loci unitus, cum hoc in consensu intimo, sympathico vivit. — Non mirum ergo, si animae effigiem in oculo quaerimus. Sit enim vel una, vel altera cerebri praepotens provincia, — mens vel animus, — sit psyche composita, vel nobili aut sordido affectu commota, scelereve inquinata, — in speculo oculi adparebunt omnia. Merito ergo M. Palingenius:

Nempe oculos, animi speculum quicumque vocarit,
 Verus erit: nam blandus amor lucescit in illis,
 Apparent odium, veritas, clementia, moeror,
 Laetitia, improbitas, pietas, prudentia, nec non
 Stultitia, ambitio, timor, ira, audacia, culpa.

Ex eodem consensu explicandum, cur morbi cerebrales dynamici aequae ac organici, — vesaniae, inflammatio cerebri, apoplexia, metastasis ad encephalon, hydrocephalus, exostoses cranii oculo characteristicum habitum largiantur, — cur morbus oculi facile in cerebrum desaeviat. Psychologo, medico forensi et pathologo res aequae magni momenti.

3. Functio, — in relatione ad organismum, — eadem, structura similis, nervorum distributio anatomica nota in nexum vitalem ponit oculum cum reliquis sensibus externis. — Inde, cur luce repentina sternutatio fiat, cur visu deleta alius sensus aciem stupendam non raro acquirat, physiologus, — cur e suppressa coryza oculi male se habeant, cur sternutatoria in morbis bulbi certis salubria, pathologus explicat.

4. Magnum porro consortium vitale fovet oculus cum toto systemate membranaceo. Externa enim palpebrarum lamina, et conjunctiva tota, qua cutis ex-

terna reflexa cum systemate cutaneo, — conjunctiva porro cum membranis mucosis, — capsula humoris aquei et membrana hyaloidea cum serosis, — sclerotica, vagina dura nervi optici et periorbita cum fibrosis in nexum ponit organon visus. — Tali pacto efflorescentia cutanea ad oculum usque extendit radicem, — tali pacto adfectio inflammatoria aut blenorrhoica membranae unius alteriusve mucosae in compatiendam vocat bulbum, — hac via hydropi, quo tumet reliquum corpus, hydrophthalmus accedit, et sic dolor rheumaticus alius partis ad oculum transilit.

5. Organa abdominis, officinae tot malorum, si morbo torquentur, oculum adfectionis suae socium habere volunt. — Partim membranarum mucosarum philadelphia, partim nexus sympathici nervi cum tertio, quinto et sexto cerebrali hoc vinculum ligat, non raro deleterium pro nobilissimo organo. — Conjunctiva, iris et chorioidea sunt, quae sub inimico ab hoc latere impetu plurimum subeunt periculi, et quas pati multum videmus, si ventriculus et tubus intestinalis sordibus gravatur, si hepar aut lien infarctu et duramine tumet, si dissentiente organorum abdominalium vita plethora venosa, haemorrhoides, arthritis gignuntur. — Sed et iris laesa vomitum, ejus et chorioideae phlogosis febrim gastrici characteris provocare valent. Mirus et a pathologo nusquam praetervidendus nexus. —

6. Nervus sympathicus, cutis externa et interna oculum remotum cum organis sexualibus ad imum corporis cavum detrusionis jungit. — Singularis oculorum obtutus et habitus in nymphomania, hysteria; — non rara sub graviditate, menstruis suppressis, scirrhus uteri est amaurosis; sub et ex blenorrhoea pennis ophthalmitis. —

Inde abstrahit psychologia, statuit regulas physiologia, solvit aenigmata pathologia.

§. 4.

De oculo humano, ut signo scripturus haesitare non potui, illam seligere thematis distributionem, quam rei dictat natura et utilitas practica. Elucet ex praegressis, quotuplici sub respectu semiotice oculi sit necessaria medico.

Tractabo ergo de oculo, in relatione sua gravi:

- I. ad Physiologiam;
- II. ad Psychologiam;
- III. ad Pathologiam, et
- IV. ad Medicinam forensem.

§. 5.

Perpendens vero arctum vinculum, quo tres priores ligantur scientiae, systemate tantum, non natura sua separatae, illudque simul, quod omnium recentissima, medicina nimirum forensis, reliquas in suum convertat scopum et ex illarum partibus suum construat totum: non possum non monere, mihi distributione hac, practicae utilitatis causa semel facta, necessarium visum fuisse, res pertractandas ita collocare, ac hoc, superius adlatum momentum petit. Sic e. g. signa diversae aetatis embryonis, signa veneficiorum ex oculo deprompta in capite IV. inveniuntur, quae eodem jure ad caput physiologicum et pathologicum pertinent. — Quoad sectionem pathologicam signa oculi pro oculo frustra quaerentur; eorum enumeratio semiologiae ophthalmo-pathologicae relicta fuit.

§. 6.

Necesse est scire, quid ad examen oculi semioticum requiratur? quid in oculo, quale materiale substratum mutationum illius explorandum sit? Sunt vero signa, quae oculus largitur vel objectiva, vel subjectiva.

I. Ad objectiva pertinent :

A. Signa ex totalitate oculi depromta, impressio nimirum, quam oculus examinandus, magnitudine, situ, forma, directione, mobilitate, diverso obtutu simul sumtis et cum proprietatibus vicinarum partium collatis in oculum examinantem facit.

B. Signa, quae partes singulae, ordine anatomico investigandae, in casu dato, visui et tactui examinantis largiuntur. Huc pertinent :

1. Signa ex partibus bulbum proxime circumdantibus. Explorentur ergo :

- a) Regio superciliaris, supercilia cum musculis suis.
- b) Palpebrae cum ciliis musculisque.
- c) Secretum palpebrarum, mucus, smegma Meibomianum.

2. Signa ex organis lacrymalibus. Respicienda erunt :

- a) Glandula lacrymalis.
- b) Rivi et lacus lacrymales.
- c) Caruncula lacrymalis, membrana semilunaris.
- d) Saccus lacrymalis.
- e) Lacrymae ipsae.

3. Signa ex bulbo ipso. Attente considerentur :

- a) Conjunctiva ejusque secretum.
- b) Cornea.
- c) Sclerotica.
- d) Iris.
- e) Camera anterior et posterior.
- f) Fundus bulbi.

4. Signa ex partibus retro bulbum in orbita sitis et ex orbita ipsa. Musculorum bulbi diversus motus et orbitae osseae conformatio varia huc spectant.

Superfluum credo sub singulo puncto addere, quaenam sit respicienda qualitas in specie? Id ophthalmologia et casus singularis docet.

II. Ad signa subjectiva numerantur:

- a) Gradus et modus visus ipsius et perceptionis lucis.
- b) Sensus communis alienatus, varius dolor in oculo perceptus.

C a p u t I.

Semiotice oculi physiologica.

§. 7.

Oculus humanus in relatione ad semioticen physiologicam sub quincuplici respectu attentionem meretur:

1. Qua signum aetatis.
2. Qua signum evolutionis certorum systematum et organorum.
3. Qua signum sexus.
4. Qua signum temperamenti et habitus.
5. Qua signum varietatis diversae generis humani.

Sequentia vero praemitto. — Signa diversae aetatis embryonis adducam in Capite IV., signa evolutionis certorum systematum partim, uti illa dentitionis, pubertatis simul cum signis aetatis, ad quam pertinent; partim, uti illa graviditatis in Capite IV. Causae locus in §. 5. adsignabatur.

Oculus qua signum aetatis.

§. 8.

Conceptio et mors termini sunt, intra quos germen humanum animatum, ab initio utero clausum vitam mere organicam et aetatem embryonis vivit; partu vero a materno corpore infans sejunctus vitam animalem degens varias periodos evolutionis et revo-

lutionis, — aetates — legibus temporis obediens percurrit. Ascendit homo per duplex infantiae stadium, per aetatem puerilem et juvenilem ad summam individualitatis perfectionem; — stat intacto robore per aetatem virilem et descendit nunc lento, nunc praecipiti cursu per aetatem senilem ad humum maternam. — Sicuti vero totus organismus hujus pro- et regredientis metamorphoseos signa dat, ita et oculus, ipse organismus, ejus signa et testimonium fert.

§. 9.

In primo infantiae stadio, — praesertim, quo junior infans, oculus frequentiori somno obrutus, tardus, distantiae dijudicandae impar, ad lucem minus sensilis, si multum, adtentionem, serius et adpentiam et aversationem objecti effatur. Supercilia, cilia parca, tenera et lucidi coloris, palpebra semipellucida, rarius nictitans, canthi nondum plenarie formati, conjunctiva sanguine scatens, multum secernens, lacrymatio frequens. Per tenuem scleroticam chorioidea pellucet, cornea ab initio minus diaphana, serius splendore inquillino carens, roseo vasorum annulo cincta. Iris profundioris, nondum determinati coloris pupillam ampliorem, tardiozem gerit. Camera utraque oculi minor. Bulbus prominens et in comparatione cum illo adulti major, perfecte sphaericus.

In altero infantiae stadio a dentitione prima finita ad absolutam secundam protracto, oculus vivax, mobilis, innocentia plenus, affectus frequentes, fugaces, qui infantilem animum movent, cito et summa cum veritate refulget. Amor, odium, spes, gaudium, poenitentia in eo lucescunt, nisi adtentione plena, ast cito evanida fixus teneatur. Supercilia, cilia magis delineata, cornea pellucida et splendens, iris determinati, lucidioris tamen coloris, myopia frequens et naturalis. —

Dentitio ipsa, si normaliter procedit vix oculum mutat. Saepe vero in casu contrario ejus rubor, illacrymatio spontanea, photophobia, pupilla contracta, imo et ophthalmitis et amaurosis hoc tempore observantur.

§. 10.

Oculus pueri, perfectior infantilis et altiori gradu hujus perfectionis tantum ab hoc differens, fluctuantis et indeterminati characteris illius, cui adpertinet imago fidelis est.

§. 11.

*Organis sexualibus sese evolventibus, aetatem juvenilem et stadium pubertatis simul ingressus homo oculum gerit testem mutationis somaticae et reactionis hujus in psychen. Mutabilis multum, tristis nunc et semet ipso quasi occupatus, desiderio plenus tenetur, nunc lascivus movetur stimuli hucusque incogniti ardore fervens. Sed cedit, animo per mentis firmatae potentiam composito, obtutui sereno, libero, intrepido, conscius roboris illius, cui servit, amore, vitae gaudio, phantasiae splendidis fulget imaginibus. Ideae pulchritudinis proxime nunc accedit oculus. Supercilia arcte delineata, pilis splendidis, elasticis, non rigidis aut admodum longis, uti in viris aut senioribus formata, multum mota et in quovis motu animi statum denotantia; palpebrae laeves, corneae eximius splendor rore humido mitigatus, iris determinati profundioris et vividi coloris, convexa, bulbi motus celer, audax, acies visus magna, non rara tamen myopia. — In sexu sequiori *menstrua periodus* pro tempore privat corneam splendore, pupillam dilatat, oculum concavum reddit et annulis livescentibus cingit. — Et nisi excipias illud, quod oculi mox post *conceptionem* in quibusdam individuis somno claudantur, a nonnullis cum magnetico comparato, aliud pro hoc actu in oculo signum vix invenies.*

§. 12.

Oculus in *aetate virili* prudentiam, iudicium maturum enuntiat, cautus et tardior in motu, rarius iisque fortibus adfectibus, ira, ambitione, superbia tumet, zelotypia, curis obnubilatur, amore patriae, uxoris, mariti, prolum splendet. — Plenarie formatus bulbus intentionis et laboris patiens, acie magna, constanti gaudet. Supercilia densa, rigida, longa, ad glabellam non raro confluentia. Palpebrae non absque rugis. — Cornea pellucidior, minus convexa, distantia ejus ab iride justa. Haec mobilior, pupilla angustior. —

§. 13.

Oculus senilis non amplius pathematum lusu motus, languidus; spem futuri, indifferentiam de praesenti, contemplationem praeteriti effatur. Presbyopia ab initio, serius visus hebes, demum coecitas. Multa enim vidit bona malave, nec amplius videre cupit, non lucem externam sed internam ducem certiozem nunc sequitur senex. — Supercilia, serius cilia canescentia, nisi defluant, — palpebrae rugosae, in motu tardae, non raro blepharoptosis, ectropium palpebrae inferioris, epiphora. Conjunctiva venis coerulescentibus perreptata, multum secernens, sclerotica grisescentis coloris, cornea splendore privata, plana, minus pellucida, arcu ex albo coerulescente cincta. — Iris, cujus color pallidus, quasi ablutus, saepe tremula pupillam coarctatam, in motu pigram, non raro irregularem gerit. Camera utraque minor, in posteriori, vel in fundo oculi obscuratio conspicua. Bulbi minoris voluminis, minus elastici profundius in orbita haerent. — Tandem mors lassos oculos claudit. Sub tristi vero *agone* vel immobilis et clausus oculus quiescit, vel luctatur motu inani, spastico, distortante. In orbitam refugiens collapsus bulbus corneam pulverulentam, argentei non-

nunquam coloris gerit, quae adspectum iridis laxae, pupillae dilatatae, irregularis et tremulae vetat. Arescunt oculi, dum adstantium irrorantur, non amplius percipientes lucem, falsis hallucinationibus, quas os balbutiens testatur, vexati, donec quiescentes palpebris tegantur vel pia manu claudantur. —

Oculus, qua signum sexus.

§. 14.

Alia est somatica et psychica feminae conditio, quam quae in viro invenitur. — Materia feminei corporis mollior, plastica magis, illa virilis perfectius elaborata, tenacior. — Animus feminae mobilis, infantilis, menti praepotens; haec minus valida, ast alacrior. — In viro animus constans, arena affectuum fortiorum, tamen mentis gubernio subditus. — In oculo somatica et psychica haec differentia depicta habetur.

§. 15.

Bulbus *in viro* major, siccior; — *in femina* minor, magis convexus, humidior. Supercilia virilia arcui plus prominenti insidentia copiosa, rigida, longa, — *in femina* parca, tenera, mollia, breviora. Ita et cilia. *In viro* palpebra superior magis adtracta, hinc ad speciem brevior, crassior, rubicundior. *In femina* bulbi majorem faciem tegens, tenuior, pallidior. Rima palpebrarum *in illo* major, canthi perfectius formati, quam *in hac*. Sagacitatem, ingenium, judicium, prudentiam, constantiam, conscientiam propriae dignitatis, superbiam, iram melius effatur oculus viri; — feminae vero amorem, desiderium, spem, gaudium, timorem. Facilius mentitur oculus viri, coërcens motum et obtutum ex jussu mentis. Rarius fallit ille feminae, non valens resistere impetui animi et modulari semet ipsum, ut ratio suadet. —

Oculus, qua signum temperamentum et habitus.

§. 16.

Convenit cuivis mortalium certa virium mensura certaue conformationis organicae ratio. Prior temperamentum, altera habitum sistit; utrumque, temperamentum et habitus ad individualitatem psychicam et corpoream conferunt, qua unus ab altero distinguitur. — Protypum, quem sibi respectu hujus individualitatis format quisque, nemo hucusque assecutus est, una alterave ratione ab eo aberrans. Haec vero a fastigio perfectionis idealis quadruplex consuetim observata deflexio quadruplici temperamenti et habitus divisioni ansam praebuit. — Distinguit veterum sagacitatem agnosceus, sagacissimus ipse neotericorum Pathologus quatuor cardinalia temperamenta, cuivis suum adsignans habitum. —

Temperamentum cholericum cum habitu toroso et sicco, — phlegmaticum cum laxo, — sanguineum cum tenero et molli, — melancholicum cum habitu robusto invenimus. Oculus fidelem in minimum spatium contractam imaginem sistit cujusvis temperamenti et habitus, — characteristicum signum pro quovis.

§. 17.

Gerit cholericus torosus oculos magnos in orbitam amplam paulum retractos, densis superciliis iisque multum mobilibus adumbratos, scintillantes, nigra iride minitantes, quos energice movet, si ira, odio, audacia, superbia fulgent.

§. 18.

Haerent in phlegmatico laxo simulque prominent ex orbita, superciliorum ornamento fere carentes, palpebris tumidulis semitecti oculi plerumque coerulei lucidioris coloris, — tardi, somniculosi, effi-

gies sincerrima animi mollis, incuriosi, mentisque pigrae, non admodum sagacis. — Morosum adspectum tunc tantum praebent, si jusculum nimis salitum invenit dominus, aut praemature e somno pomeridiano expergefactus oscitat, affectu alio vix tacti.

§. 19.

Oculi minores, lucide brunei aut caerulescentes, *sanguinei teneri mollisque*, animi versatilis probi indices. Nullus est affectus, cujus impressionem non referant, volatilis tamen omnis. Curiosus, viva signa interrogationis, irrequieti, contristati, quod tantum sex musculos a natura acceperint.

§. 20.

Resident sub' fronte alto *melancholici oculi*. Supercilia, canthi, quaevis plica palpebrarum et vicinae regionis determinate delineata sunt. Iride profunde brunea, vel caesia lucent. Motus rarus sed energicus. — Acies magna non vilibus vulgaribusque objectis impensa, sed ad phaenomena gravia, rara directa. — Constantiam, pertinaciam, severitatem in oculo invenis, si obtutum penetrantem, secreta, quae in alterius corde sepulta jacent scrutantem ferre vales. Commentarium dant oculi ad illa verba Horatii: Impavidum ferient ruinae! Ingenium subtile, profundum enuntiant, rarioribus momentis fulgent audacis et poeticae phantasiae simulacris.

Oculus qua signum varietatis diversae generis humani.

§. 21.

Vetat dignitas alta generis humani specierum praesentiam: genuit tamen peregrinatio in diversam directionem, et mutatum inde necessario clima ex stirpe cardinali caucasica reliquas varietates. Per malayicam ex una parte in aethiopicam; per americanam ex altera in mongolicam degeneravit.

Ex opinione nostra oculus hominis *caucasici* ideae pulchritudinis proxime accedit. Partium singularium ejus inter se et oculi totius cum facie concordans proportio, — formarum ejus omnium exacta delineatio et rotundata indoles, — facilitas, quaecumque mentis quamlibet facultatem et animi quemlibet motum refulget, hanc nostram de eo sententiam firmarunt. — Descriptio penitior superflua. Quivis enim vel in homine vivo, vel in effigie picta, prole veri artificis saepe saepius oculum pulchrum admirandi invenit occasionem. Quotnam oculi pictoribus, poetis, historicis immortalitatem suam debent? Nonne hocce momento saltem in una tertia parte oculorum generis humani et quidem in quovis speciatim coelum reclusum creditur? — Color oculi *caucasici* in genere caeruleus est. Saltem hic varietati *causae* exclusive fere communis. — Sed transit ex una parte per colorem subviridicantem in caesium, ex altera per lucide bruneum in profundius fuscum, imo nigrum. Borealis *caucasici* iris colore coeli sereni lucet, dum interim ille sub fervido sole natus nigrum oculum gerit et ex eo nativi coeli fulgura mittit.

§. 22.

Aethiopes in orbita majori, infundibiliformi, illi alterius lateris magis adproximata, oculum gerunt prominentem, majorem, quam *caucasici*, qui tamen minor videtur, quia palpebris majoribus, magis conniventibus, mobilibus tegitur. Haud superciliis, minus quam in *causae* varietate prominentibus, tenuibus, sed ciliis magis arcuatis, densioribus a luce arcetur. Plica semilunaris major, — album oculi non adeo purum, quam in *Europaeo*, tamen, cum nigro undique cingatur colore, peculiarem habitum oculo *aethiopico* concilians. Cornea ad dimidiam lineam annulo nigricante cincta, minor, minus convexa. Iris adeo profunde tincta, ut ad parvam distantiam pupillam vix distinguas.

§. 23.

Malayicae varietatis oculus proxime ad illum aethiopicis accedit. Non adeo ac in hoc oculi sibi adpropinquantur, non adeo prominent, iris non tam profundi est coloris.

Proles *mongolicae varietatis* oculos parvos, glabella lata multum a se invicem distantes habet. Rima palpebrarum angusta — ad lineam enim fere connivent. Gerit *americanus* oculos multum retractos, superciliis et ciliis rigidis munitos, summae aciei capaces.

C a p u t II.

Semiotice oculi psychologica.

§. 24.

Noscitur psyche humana proxime verbo et facto. Sed incolit substratum materiale, modificata per hoc et modificans viceversa somaticam partem. Ergo et ex individualitate corporea dijudicari poterit psyche. Ars vero, hominem internum externo cognoscendi, *physiognomica est in sensu latissimo*. Ipsa pars psychologiae. Sicuti vero planta ex flore, ita ex facie homo in certam classem distribuitur. Est ergo *physiognomica ars in sensu strictiori* illa, hominem internum, i. e. mentem et animum, ex facie dijudicandi. Alius vero est habitus faciei, si mens et animus compositus, si psyche quiescit, alius, si miro facultatum mentalium lusu, aut affectuum et pathematum pugna facies movetur. Dividi ergo poterit *ars physiognomica* sub hoc duplici respectu:

1. *in physiognomicam strictissimo sensu, et*
2. *in pathognomicam.*

Nobilissima vero faciei pars, cerebro intime juncta, oculus prae reliquis statum animi mentisque effari va-

lebit, et secundum duplicem adductam divisionem considerabitur.

1. *Oculus, ut signum physiognomicum.*

§. 25.

Nolo intrare in labyrinthum fallacem hujus scientiae, neque contendo, vera esse omnia, quae circa eam rem prae aliis strenuissimus illius defensor Lavater protulit. — Sed, ut quae sentio, confitear: veriorem hanc artem credo, quam cranioscopiam Gallianam, et vera multa continere, experientia quotidiana docet. — Adducam, quae alii protulere artis experti, et quae mihi memorabilia videbantur. Seligat quisque, quae vera invenit!

§. 26.

Jam *Homerus* physiognomicae artis et pretii oculi in hac gnarus fuit. Eo enim *Pallas* Athene provida, sapiens et audax *γλαυκωπις* semper vocatur. Et *Ossian*, heros et poeta simul, malevolis et perfidis tribuit capillos rufos et *oculum strabum*. Tamen monendum, utrumque fuisse coecum.

Hippocrati adscribuntur nonnulla effata ad rem nostram spectantia. An vero tanti valeant, quanti reliqua, quae dixit, nolo dijudicare. „Quibus caput magnum, ait, *oculi parvi*, si balbutiant, in iracundiam sunt praecipites.” — „Qui in *conniventibus oculis* intuentur, irae sunt admodum praecipites.” — Quibus caput magnum, *oculi grandiores et nigri*, nares crassae et simae, ii boni sunt.” — „Qui *oculos grandiores et ramos* habent, caput parvum, cervicem tenuem, pectus angustum, ii a natura concinnam partium proportionem acceperunt. De *morb. vulgarib.* lib. II. tom. III. pag. 462—463.

Haud atticos monstrat *Aristoteles* mores, dum in

Physiognomia dicit: „Quicumque habent *oculos eminentes*, fatui: referuntur ad apparentem decentiam et asinos. Lib. VI. cap. 2.

Scipio Claramontius in *semiotica morali* etc. cur. Conring. Lugd. Batav. 1701. 8. lib. VI. cap. 9. de oculis eorumque affectibus inter plura alia ita loquitur: „*Adspectus obliquus* ex cupiditate nascitur, cum vel pudore impeditur, vel pudorem praetendit. Femellae hoc aspectu amatores plerumque irretiunt.

Theophrastus Paracelsus, vir ingenii sublimis, mystagogus tamen, non semper intelligibilis, in volum. II. *De natur. rerum*. lib. 9. de signatura rer., in capite *de astralibus signis physiognomiae in homine* pag. 108—109 sequentia profert: „Et, ut ad nostri instituti Practicam descendamus, sciendum est, *nigros oculos* praeter constitutionem sanam, plerumque etiam indicare constantem animum, minime ambiguum, haud meticulosum, sed vegetum et cordatum, veracem et virtutis amantem.”

„*Caesii oculi* indices sunt hominis dolosi, ambigui, inconstantis. — *Imbecilli oculi* notant bona consilia, argutas et profundas deliberationes. *Lusci*, qui sursum, deorsum et ad utrumque latus versatiles sunt, notant hominem avarum, falsum, callidum, decipi nescientem, insidum, laborum fugientem, otii studiosum, victum quaerentem desidia, alea, foenore, scortatione, rapinis et similibus. — *Oculi parvi* et *profundiores* visum imbecillem et debilem, frequenter autem in senio coecitatem indicant, velut et fortes homines, bellicosos, impavidos, dolosos et agiles, factiosos, patientes fortunae, quorum tamen vitae exitus plerumque tragicus est, notant. — *Magni* notant avarum, voracem, maxime, si extra caput *promineant*. — *Oculi assidue nictitantes* indicant visum debilem et hominem

timidum et sollicitum; *oculi, qui velocius huc illuc moventur ad adspectum hominum* indicant cor amatorium, prudens et expeditae inventionis. — *Oculi assidue dejecti* indicant hominem verecundum et modestum. — *Oculi rubri* hominem fortem, audacem. *Lucentes oculi, nec facile mobiles* indicant heroëm, magnanimum, fortem, alacrem, hostibus suis formidolosum.

§. 27.

Lavater fuit, qui artem physiognomicam locupletavit, in systematicum ordinem redegit, et paterno seductus amore, infallibilem eam credidit. En quaedam, quae si non semper illud, quod *Lavater* vult, certe, tamen auctoris sagacitatem denotant.

1. *Quoad supercilia.*

Supercilia lucidioris coloris symptoma debilitatis, et contra. — *Quo propius supercilia oculis incumbunt, eo severior, immutabilior character; quo magis vero distant ab oculo, eo levior, mobilior.* — Numquam, inquit, hominem ingenii sublimis, imo nec prudentem et firmi characteris vidi, qui *supercilia tenuia, alta frontem quasi in duas aequales partes dividenda gesserit.* — *Supercilia confluentia faciei habitum tristem conciliant, et testimonium dant mentis vel animi obnubilati.*

2. *Quoad bulbum ipsum.*

Oculi caerulei in genere magis, quam *brunei* aut *nigri* debilitatem et femineam mollitiem characteris denotant. *Oculi viridicantis coloris* fere infallibile signum characteris violenti, fervidi, animosi. — Numquam inveni, ait, *oculum, in quo margo liber palpebrae superioris horizontalis iridem perfecte dimidiaverit, nisi in homine ingenii subtilis, magnae dexteritatis, multum doloso.* —

Oculi multum aperti, ita, ut inferior plaga albi major conspiciatur, aequae in fatuis, ac in audacibus et

fervidi animi individuus inveniuntur. Sed splendor vel languor, magis minusve determinata delineatio formarum, distinctionem adjuvat.

§. 28.

Plura demum signa ex *oculo collato cum reliqua facie* profert, sed sufficiant haec fragmenta. Solum id silentio praeterire non possum, ipsam cranioscopiam gallianam considerationi oculi physiognomicae vitam debere. Observavit enim *Gall*, dum scholas adhuc frequentaret, excellentem in illis pueris memoriam, qui *magnos gerebant oculos*. Serius eandem observationem in inclytis scenicis confirmatam invenit. Situm organi memoriae adsignati ex hac oculorum conformatione determinavit.

2. *Oculus, ut signum pathognomicum.*

§. 29.

Si pretium oculi, ut signi in arte physiognomica strictissime tali ambiguum saepe, in altera ejus parte, pathognomica indubitatum hucusque stetit. Et fieri aliter non potest, quam quod oculus cerebro proximus multisque nervis cum eo unitus, si terra haec incognita ejusque incola affectuum et pathematum procella exagitur, motum ipse persentiat, et musculis suis multis, fors et facultate splendorem nativum luce inquilina augendi cito et luculenter manifestet. — Cogitemus nobis hominem, demtis oculis; certe quivis mecum conveniet, omnem ab eo affectum, tantum mancum, plurimum penitus non repraesentari posse. — Ut autem et hic certum sequar ordinem, schema propono affectuum pathematumque, quorum in oculo signa describam et quod simul rationem hujus divisionis continet.

1. *Affectus excitantes.*

1. *Grati.* 2. *Ingrati.*

Grati a) ex sensu grato olim aut nunc percepto.

- 1) Gaudium.
- 2) Amor.
- 3) Amicitia.
- 4) Ambitio.
- 5) Superbia.

b) ex sensu grato percipiendo.

Spes.

Ingrati, a) ex sensu ingrato nunc percepto.

Ira.

b) ex sensu ingrato olim percepto.

Vindictae cupiditas.

II. Affectus deprimentes.

Ingrati omnes.

a) Ex sensu ingrato nunc aut olim percepto.

- 1) Terror.
- 2) Tristitia.
- 3) Desperatio.
- 4) Poenitentia.
- 5) Pudor.
- 6) Invidia.

b) Ex sensu ingrato percipiendo.

- 1) Timor.
- 2) Avaritia.
- 3) Zelotypia.

§. 30.

Gaudium, affectus cuius reliquo gratorum plus minusve admixtus, oculum turgidiorem, palpebra superiore magis adtracta ad speciem majorem; — corneam et iridem convexiorem reddit, bulboque, secretionem quavis aucta et musculis suis fortius tenso peculiarem humidum splendorem conciliat. —

§. 31.

Eloquentiam miror oculi *feliciter amantis*, organi muti! Animam in cornea et iride gerit. — Turgidus,

humidus, (jam Anacreon Veneri humidum tribuit oculum) radios divinae lucis mittit, centies multiplicatos, si socios in amato oculo inveniunt. — Quam mobilis tunc, et quam multiplex motus! Flagrans desiderio nunc fixus in objectum amatum dirigitur, dolose et provide nunc a latere, motus per musculum amatorium, jaculatur tela, et spatium terrae nimis angustum credens astra in testimonium felicitatis suae convocat. — Moestus, in motu languidus, obnubilatus, palpebra superiori semitectus deorsum spectat oculus de *infelici dolens in amore successu*. —

Non dissimilis priori est oculus *amicitiam* relucens, sed liberior, non adeo irrequietus et carens ignobili libidinis igne, quo ille non raro ardet, nisi platonicum quoque credas et hinc excipias amorem.

§. 32.

Musculo recto superiori, quem superbum vocat anatomia, sursum tractus oculus *superbia* tumens negligit terrestria, sic male serviens domino, cui lapsum frequentem parat. Tardus et praenobilis in motu contemptum reliquis mortalibus minatur, infinite contentus cum eo, quo geritur.

Similis huic est oculus *ambitionis*, contemptum tamen celans et oppositi musculi auxilium implorans, ubi hoc utile credit.

§. 33.

Bulbus *irati* protrusus, turgens, ad canthos rubore suffusus, adumbratus superciliis ad glabellam deorsum et introrsum contractis, corrugatis, — fulgura vibrat, quae perniciem mortemque infelici irae objecto promittunt. Mira cum vi et celeritate per musculos alternatim agentes in gyro lucido movetur, in fletum inanem erumpens, si hostem securum et iram vanam agnoscit. Imo amaurosis ex ira suppressa ortum ducit.

Fraternam similitudinem monstrat oculus *vindictae*

cupidus, quietior tamen, retractus paulum et a latere insidians hosti, extrorsum positus per musculum, qui indignatorius inde audit.

§. 34.

Oculi *terrore* adflicti vel fixi in causam terroris visibilem diriguntur, aperti magis ineffabilem, ingratam impressionem adstantibus largiuntur, contagium terroris et in hos diffundentes; — vel vero splendore orbati, convulsive moti incognitam causam terroris quaerunt, obnubilantur, obcoecantur.

Languet oculus *tristis*, retractus, palpebris multum tectus, tardus in motu, corneam et iridem minus convexam, priorem minus splendidam et pellucidam, alteram cum pupilla dilatata ostendit, in fletum facile erumpens. — *Desperati* oculus nullibi quietus, sui inscius ab objecto ad objectum currens, nunc splendens, nunc obnubilatus, fidei experti auxilium impossibile non amplius quaerit.

§. 35.

Pudore repentino captus oculus ab initio apertus, magnus, cum quadam stupiditatis expressione; brevi vero retrahitur humumque quaerit musculo humili tractus deorsum, superciliis semitectus, timens alienum adspectum.

Signa tristitiae vel desperationis cum illis pudoris mixta prae se fert oculus *poenitentiae*.

Oculus *invidia* dehonestatus sub conniventibus palpebris, album sordide flavescens monstrans, parvus, timidulus, tristis haeret, tunc tantum gaudio fulgens, si alterius miseriam, sed — Ovidio jam momente — „nusquam acie recta” videt.

§. 36.

Oculus *timentis* incertus, irrequietus, anxie ad latus utrumque currit, ab utroque hostem et periculum

expectans, ab utroque auxilium quaerens. Cornea minus splendens, tamen magis convexa, ita et iris, quae pupillam dilatatam, oscillantem gerit.

Avarus habet oculum invidioso similem, anxium magis et dolosum.

Et qui *Zelotypia* torquetur oculus, mirum lusum amoris, odii, irae, timoris ac pudoris manifestat.

C a p u t III.

Semiotice oculi pathologica.

§. 37.

Gravissimam thematis partem adgrediens, sequentia praemitto. — Fundamentum distributionis signorum dabit morborum divisio. Non pro signo quovis morbos, sed pro quovis morbo signa oculi collegi. Repetitio jam semel dictorum frequentior in uno alterove casu evitari non potest, nec debet. Sed commodius fore putavi, symptomatis alicujus in certo morbo significationem sub hoc ipso quaerere, quam morbum singularem, et quid in eo valeat symptoma certum ex oculo depromptum, in vasta horum signorum farragine venari. — Morborum divisionem a celeberrimo Professore quondam, nunc Archiatro Nobil a Raimann propositam secutus sum. Nam optima sequi placuit. — Non opprobrio mihi fore credo, eandem sententiam plurium in arte nostra splendentium virorum de iisdem signis protulisse. In scientia enim medica verum sat saepe dici non poterit. Et eo melius, si ab illis dicitur, quibus credere fas est. — Ex altera parte non raro opposita invenietur circa eandem rem doctorum sententia. Saltem ad primum adspectum, nonnumquam absolute. Dijudicent alii, quis verum dixerit! Tamen omittere haec nolui. Ve-

ritas enim per falsum verior adparet. Demum effata principum in arte medica, intacta reddidi. Nam sacra ea esse, et verbo mutato rem ipsam mutilari ratus fui. Nomen auctoris, — ubi id necessarium videbatur, adduxi.

§. 38.

Laudes nunc sequi deberent oculi, ut signi in morbis. — Optimas certe dabo, si eorum de hac re iudicia offero, quibus de medicina merita sua aeternam gloriam et venerationem promittunt, vel jam largiebantur. — Ut aphorismi semiotici considerari merito possunt.

1. Oculi, ut valuerint, ita et totum corpus. — Hipp. de morb. vulg. lib. 7. tom 3. p. 606.
2. Ob quam causam medicus neque in tenebris, neque a capite aegri debet residere, sed illustri loco adversus, ut omnes notas ex vultu quoque cubantis percipiat. — Celsus lib. 3. cap. 6. p. 119.
3. Si bene colorati oculi sunt, totum corpus salubriter se habere significant. Galen. in comment.
4. Ex oculis quoque iudicium prognostici venemur, idque accuratius, quod in praedicendis eventibus morborum inter partes corporis primatum obtineant. — Prop. Alpin. lib. 5. cap. 7. p. 445.
5. Nusquam ab aegro discedas in acutis et inflammatoriis, nisi oculos inspexeris: Quando illos a naturali statu mutatos videbis, time semper, sicuti post opiatum in dysenteria, post chinam chinae in magno primarum viarum adparatu: Constricto in his casibus indebite humore noxio praecipitat aeger, et praecipitii signa oculi

- a naturali statu mutati ostendunt. — Georg. Bagliv. lib. 1. pag. 77.
6. Oculi autem plurima et certissima signa dare valent in morbis: nec mirum, cum in sanis animi affectus varios in oculo observare liceat, et prima ingruentium morborum indicia saepe in oculis adpareant. — Van Swieten tom. 2. pag. 437.
7. Ut valent oculi, sic et homo. — Stoll. pars. 6. p. 24. §. 86.
8. Je mehr dieses Organ in den verschiedenen Krankheiten seinen sichern und festen Blick, seine Kraft, Reinheit und Klarheit, seinen natürlichen Glanz behält, desto sicherer kann man auf einen guten Verlauf und Ausgang der Krankheit rechnen. — Berend's Semiotik.
9. Aus den Augen liefert man tausend Dinge, welche sich durch keine anderen Zeichen verrathen. Aus ihnen sieht man oft, wie aus keinem anderen Zeichen, was die Worte und das Benehmen des Arztes und andere Dinge auf den Kranken wirken. — Sam. G. Vogel, Kranken-Examen. Stendal 1796.
10. Aus dem Auge und aus seiner Form und Thätigkeit allein sollte man den Charakter eines Menschen bestimmen können, und so kann man oft schon allein aus der richtigen Beobachtung des Auges und der an demselben sich zeigenden Symptome auf den Zustand des Körpers bei wichtigen Krankheiten schließen. — Kieser's Syst. der Mediz. 2. Bd. S. 28. Halle 1819.
11. Parmi les Signes les plus certains on doit compter ceux tirés des yeux. Dans l'état de santé, ils trahissent les secrets du coeur; dans les maladies, ils dévoilent ceux des parties malades. — A. J. Landré-Beauvais p. 421.
-

CLASSIS I.: FEBRES.

§. 39.

Signa oculi in morbis acutis, nec non in febribus in genere.

1. Soli autem oculi non valent iudicium praemonstrare, neque quicquam certi, cui tantum ad prognosticum sit fidendum habent. Cum in aliquibus febribus continuis aliquando boni oculi adpareant, cum tamen febris ad exitium inclinet. — Hoc tamen raro accidit, quippe oculos recte se habere aegro ad exitium tendente. Proinde ex bonis oculis plerumque non levis futurae salutis spes habetur. — Prosp. Alp. lib. 5. cap. 7. p. 446.
2. Bonos vero vocat oculos, qui similes sunt recte valentibus et floridi coloris, pleni, splendidi, eminus et ante et in aere sine molestia luminosum videntes, palpebras recte aperientes et claudentes, nullo rubore aut nigrore infecti, sine lacrymis atque sine excrementis, quae lemas appellant, ipsorum angulis adhaerentibus. — Id. ibid.
3. At non modo hi boni crediti, sed etiam aliquando mali possunt ex accidenti tamen salutis nobis argumento esse futurae. — Utpote lucem ferre nequeunt, lacrymantes, intense rubri, splendidi, caliginosi, obtusi, hebetes, distorti, tumidi, cavi, clausi, si ita ex crisi futura fiant. — Id. ibid.
4. Si in morbis acutis, absque irritatione inflammatoria oculorum palpebrae clauduntur: plerumque metastasis ad encephalon, vel sopor, vel deliria et convulsio violenta sequuntur.;

5. Si tumor tantum palpebrae superioris in morbis acutis remanet, nisi a somno nimis protracto oriatur, recidivam indicat. — Friedreich.
6. Palpebrae imperfecte clausae, ita, ut aeger semiapertis oculis dormiat, in feбри acuta lethale signum a Clökhof dicuntur.
7. In febribus palpebrae semiapertae debilitatem, deliria timenda; versus finem convulsiones et mortem indicant.
8. Quodsi pervertatur aut corrugetur palpebra, aut livescat, aut pallescat, itemque labrum aut nasus cum alio aliquo signo, mortem in propinquo esse, sciendum est. — Hipp. praenot. lib. tom. 1. p. 90—91.
9. In quavis feбри, ubi cum voce rauca, difficili deglutitione, tonsillis dolentibus et inflammatis oculi in orbitam retrahuntur et concavi evadunt: signum dant lethale.
10. Si per initia morbi acuti, nasus acutus, oculi collapsi, collapsa tempora, aures frigidae et contractae imisque suis fibris inversae, cutis circa frontem dura, intenta et resiccata, et totius faciei color ex viridi pallescens, aut etiam niger aut plumbeus fuerit, interrogare convenit, num aeger vigilaverit, aut alvus admodum liquida fuerit, aut cum inedia aliqua oppresserit. — Quod si quid horum fateatur minus formidandum esse existimandum. Dijudicatur autem ista die ac nocte, si ex his causis ejusmodi facies fuerit. At si nihil horum praecesisse dixerit, neque intra dictum tempus ad pristinum statum rediverit, in propinquo mortem esse, sciendum est. — Hipp. praenot. lib. tom. 1. pag. 89—90.
11. Si vero vetustiore jam morbo aut triduo aut quadriduo talis facies exstiterit, inquirenda ea

sunt, de quibus antea praecepi, (vid. 10) et reliqua signa tum ex universa facie, tum ex corpore et oculis in considerationem adhibenda. Si namque lucem refugiunt aut illacrymant praeter voluntatem, aut pervertuntur, aut alter ex iis minor fit, aut in iisdem venulae livescunt, aut nigricant aut lippientium oculorum sordes circa eorum aciem appareant, aut etiam assidue mobiles aut tumidi aut vehementer cavi fuerint, aut eorum aspectus squalidus et minime lucidus, aut totius faciei color immutatus, haec, omnia mala perniciosaque existimanda. — Id. in eod. op. pag. 90—91.

12. Hinc (vid. 11) inaequalis magnitudo oculi utriusque secundum *Stoll* in febribus signum lethale. *Werlhof* nihilominus aegrum paraphreniticum, *cujus oculus sinister dextro minor adparuit, sanum dimisit*; vid. tom. 3. p. 820.
13. Cum oculorum perversione, febribus et lassitudinis sensu detento, rigor perniciem minatur. Atque in hujusmodi casibus soporati malum denuntiant. — Hipp. coac. praenot. tom. 1. p. 267.
14. Ex recursione doloris in lumbis oculorum perversio et distortio mala est. Hipp. praenot. coac. tom. 1. p. 283.
15. In febre non intermittente, si labrum, aut supercilium, aut oculus, aut nasus pervertatur, si non videat, si non audiat, imbecillo corpore, quidquid ex his evenerit, in propinquo mors est. Hipp. aphoris. tom. 3. p. 734.
16. Strabismus in acutis morbis in genere malum signum. Observatur nonnunquam tempore critico, quin mors sequatur: timendum tamen, si oculi strabi manserint, id, quod incompletam coctionem indicat.

17. Perverti et distorqueri oculos ex futura crisi, jam Hippocrates narrat in lib. 3. morb. vulgar. p. 471. de aegro tertio, qui in Dealcis hortis decumbebat. —
18. Oculus inquietus, in motu celer, signum periculosum est in acutis morbis: tremorem lethalem, delirium, tetanum, soporem futurum indicat. — Gruner.
19. In praecipiti malo rectus oculorum obtutus et motus pernicitas, somnus turbulentus, pervigilium, interdumque sanguinis e naribus stillationes nil boni denunciant. — Hipp. coac. praenot. tom. 1. p. 268.
20. Verum etiam eorum oculos intueri oportet. Si namque oculi crebro moventur, insania expectanda. Hipp. praenot. lib. pag. 94—95.
21. Si in febribus oculorum nimius splendor: delirium, convulsio, phrenitis timenda erunt.
22. Ad finem febrium acutarum, praesentibus aliis malis signis alacritas oculorum signum malum, vel saltem suspectum.
23. Oculorum claritas, ac eorum album ex nigro aut livido clarum fieri, ad judicationem confert. Ac, quo celerius clarescunt, eo celeriore judicationem, at tardius tardiore significant. Hipp. coac. praenot. tom. 1. p. 266—267.
24. In praecipitibus malis, oculi obserratio et perfractio malo est. Hipp. praedict. lib. 1. p. 168.
25. In quavis febre acuta, — (inprimis nervosa aut putrida) rubor oculorum symptoma malum. — Sic ait Pringle, *Beobachtungen über die Krankheiten der Armeen. Uebers. von Brande. Altenburg 1772.* 3. Thl. 7. Kap.

26. Color flavescens albi oculi signum grave in fe-
bri acuta.
27. Quin etiam oculorum alba per initia quidem
morbi nigrescere necesse est, si morbus inva-
luerit. — Hipp. de dieb. judicat. lib. tom. 1. p. 150.
28. Dilatata pupilla in morbis acutis signum grave.
29. Pupilla dilatata a *Berends* inter pessima signa
in morbis acutis numeratur, mortemque propin-
quam ea indicari dicit. —
30. Contracta multum pupilla in morbis acutis ti-
morem delirii, convulsionis injicit.
31. Si in febre acuta aeger, quod nil videat con-
queritur, signum valde periculosum, — mortis
instantis, si reliqua symptomata pro virium ex-
haustione loquuntur. —
32. Oculorum vis, nisi valeat et constet, mortem
in propinquo esse significat. Hipp. praenot. lib.
tom. 1. p. 89—90.
33. Oculi hebescentes et obtusi, concreti et cali-
gantes malum portendunt. — Hipp. coac. prae-
not. tom. 1. p. 268.
34. In morbis acutis diplopia cerebrum adfectum,
testatur.
35. In acuta febre myiodesopsia delirium praesens
comitatur, vel futurum promittit. —
36. In morbis acutis, delirio febrili marmarygae
praecedere solent.
37. In reconvalescentia ex morbis acutis, 'sensili-
tas oculi et marmarygae remanentes debilitatem
residuam significant. —
38. In morbis acutis lacryma inarescens sub oculis
et ad genas, cum palpebris simul siccis, testis
est magnae debilitatis secundum *Berends*.
39. Quibus oculi in morbis sponte illacrymant, bo-

num, quibus vero non sponte, malum. — Hipp. aphoris. (spur.) tom. 3. p. 767.

40. Cum hoc effato (39) convenit et sequens: In morbis praecipitibus, ubi male habent aegri, ultro quidem profluens lacryma bono est, invitis vero malum denunciat. Quibus etiam palpebrae circumtenduntur, malum significatur. Malum quoque, quod in oculis inarescit (vid. 38.) tenuissimae lanugini aut aquarum aspergini simile, quae ἀχνη dicitur. Oculorum denique hebetatio et reclusio et squalor malum denunciat, quique intro corrugantur, qui concreti sunt ac aegre vertuntur et intro sunt convoluti, quaeque alia praetermittuntur. — Hipp. de morb. vulgarib. tom. 3. lib. 8. p. 586—587.
41. In febribus, si faciei partes extenuentur, et venae, quae in manibus sunt et oculorum angulis ac superciliis quiescunt, cum antea minime quiescerent, huic si vox remissior et exilior, respiratio rarior et tenuior fuerit, in sequentem diem morbi remissio contingit. — Hipp. de dieb. judicat. lib. tom. 1. p. 150.
42. Oculus dolens absque ejus inflammatione in febribus stimulum morbosum et periculum indicat. — Gruner.
43. Caligine obducti oculi, aut eorum album rubescens aut livescens aut nigris venis refertum, nihil probi prae se fert. Malum quoque est, lucem refugere, aut illacrymare, aut perverti, atque in his alterum minorem esse, perniciem denunciat, et oculos crebro disjicere, gramias ac parvas sordes ipsis adhaerescere, aut albescentem humorem concretum et tenuem aegida nominant, habere; aut eorum album augere, ni-

grum autem minui, aut nigrum a superiori palpebra contegi. Vitiosa quoque est oculorum cavitas et vehemens oculi foras expressio ac splendoris elisio, adeo, ut pupilla extendi nequeat, et cilia retorta, ac fixi oculi ac continenter conniventes, coloris immutatio, aut palpebras per somnum non committere perniciem ostendunt. — Quin et distortus oculus malo est. * Hipp. coac. praenot. tom. 1. p. 267. —

Claudat hanc sectionem effatum hoc, thesaurum semioticum recondens, quod repetitionem brevem priorum quasi continens, cum 11. et 40. conferre neminem poenitebit.

§. 40.

A. Febres continuæ.

1. Febres continuæ simplices.

Signa oculi in feбри inflammatoria.

1. In feбри inflammatoria palpebrae rubro colore tinguntur. Si congestio simul ad caput, — tument, tenduntur et dolent.

2. Synochæ communis est oculus scintillans, album ejus levi rubore suffusum, tempore exacerbationis multum rubens, splendor eculi sicci, pupilla angustior.

3. Si sub altiori hujus febris gradu in infantibus et sensibilibus individuis photophobia magna, obtutus ferox accedunt: tunc deliria et convulsiones instant.

4. Si post evacuationes criticas splendor oculi normalis evaserit plenam crîsim; si vero quidpiam scintillans rubensque manserit oculus imperfectam crîsim indicat.

Signa oculi in febris putrida.

1. Oculus languidus, pupilla aliquid dilatata, album oculi subsordidum inter signa prodroma febris putridae pertinent.

2. Oculi rubentes, tumidi, nonnumquam dolentes, pulverulenti, vitrei, obtutus moestus, stupidus et characteristice languidus, pupilla dilatata, album oculi subflavum, subvirescens, palpebra superior oblique versus angulum externum pendula, mucus sordidus in canthis, mane palpebrarum conglutinatio in febris putridae incremento observantur. —

3. Huxham in febris putridis, malignis, petechialibus oculos semper admodum magnos, tristes, flavescentes et haud raro aliquomodo inflammatos invenit. — Tom. 2. pag. 25. —

4. Et, si in putrida oculi vitrei evaserint, sub singultu, sudore frigido, unguibus lividis, pulsuque deficiente, mors denunciatur secundum eundem medicum. — Tom. 1. p. 328.

5. Contra vero bonum signum erat, si vitreum splendorem in hoc morbo deposuerint. —

6. In febris putrida, oculi quo luctuosiores, involuntariis lacrymis humidiores, eo morbus hic peior, lethalior. Boërhave aphoris. 734.

7. Quandoque etiam accidit, ut aegri vultus moerorem exprimat, interdum cum lacrymis et sine eis, licet nondum adeo squalidi adpareant: si rogetur tristitiae causam, negat, se tristem esse. — Pessimum semper hoc signum est. Van Swieten tom. 2. p. 431. §. 734.

8. In febris maligna putrida nonnumquam tumor metastaticus bulbi observatur. Vidit cum Keck in bulbo sinistro aegri febris gastrico-putrida laborantis.

9. Oculi distorti, albuginea prospectante, coecitas maximum vitae periculum indicant.

10. Ita etiam obtutus fixus cum strabismo alternans, peculiari ratione mutatus.

11. Faustum vero signum, si fuliginosae sordes albugineae et palpebrarum evanescent, obtutus oculi purioris, minus tristis et languens, ad attentionem reviscentem circa ea, quae aegro proxima sunt, enuntiat.

§. 42.

Signa oculi in febris nervosa.

1. In febris nervosa inchoante obtutus languidus, anxius, albuginea parum rubescens, pupillae exigua angustatio observantur.

2. Hebetudo visus, caligatio, oculus illacrymatus, somnolentus, veluti ex somno repentine expergefacti, cornea minus pellucida, pupilla dilatata *febris nervosae stupidae* conveniunt.

3. In primo *nervosae versatilis* tempore oculus splendens, multum mobilis, conjunctiva rubens, pupilla contracta magis, varia hallucinatio visus observantur.

4. Et, si delirium intrat, oculus illi in synocha non raro similis evadit. At languidus, emortuus quasi obtutus, quem tempore remissionis recuperat, differentiam facit.

5. Motus palpebrarum evadit difficilis in hac febris. Conqueruntur aegri de earum pondere.

6. In febris nervosa palpebrae nonnumquam multum connivent, ut vix adpareat inter eas bulbus. — Alias imperfecte clauduntur et nil nisi album oculi tegunt.

7. Si in nervosa febris motus iridis oscillans, albuginea sordida, oculus in remissione febris multum languidus, stupidus, pupilla dilatata, cornea minus pellucida est; signum perniciosum.

8. Si pupilla multum dilatatur, imo iris sensilitate adeo privatur, ut luci incidente non amplius contra-

hatur; vel vero, si pupilla plus quam normaliter contrahitur et oculi continua nictitatione lucem fugiunt; signa sunt valde periculosa.

9. In feбри nervosa cum magna debilitate strabismus unius vel utriusque oculi non rarus et semper timendus.

10. In feбри nervosa, secundum Berends cilia lemosa infaustum dant signum.

§. 43.

2. Febres continuæ compositæ.

Signa oculi in statu gastrico et febribus gastricis.

1. In affectione gastrica oculi colore subflavo, flavo, imo ex flavo viridicante tinguntur.

2. Ex sordibus gastricis cujuscumque generis amaurosis aut hebetudo visus observabatur. Ita et diplopia.

3. In specie amaurosis concomitans convulsiones in infantibus acidum primarum viarum designat.

4. Saburram nutrimentorum hordeolum externum et internum, saburram biliosam, pituitosam, verminosam erysipelas conjunctivæ sæpius comitatur.

5. Febris gastrica saburræ in primis diebus oculum illacrymatum, glandulas Meibomii rubescentes, serius album oculi sordide flavum, iridem laxam, pupillam dilatatam producit.

6. Si in hac feбри increscit sordidus color albugineæ, si obtutus stupidus evadit, si oculorum inaequalis sit magnitudo, ac si acrius videre vellet uno oculo aeger, transitum in characterem nervosum, putridum, quin et mortem in propinquo esse, indicant. Confer §. 39. Nr. 11 et 12.

7. Feбри biliosæ color albugineæ pure flavus, croceus, ab initio, ubi character magis inflammatorius, in primis sub exacerbatione oculus splendens; — sub ul-

teriori decursu obtutus moestus, morosus, languidus convenit.

8. Circa hanc febrim notat Stoll tom. 1. p. 43: „Symptomata quaedam difficiles nobis explicatus admittere saepius videbantur. Sic nulla saepe primarum viarum affectarum signa adparuere, quibus confisus emeticum tuto exhibere potuisses: sola aderat paulo frequentior alvi dejectio, pulsus naturali citatior, parum tamen, et mollities consueta: caeterum et lingua, ut in sanis solet et bonus assumitorum sapor. Nullum circa ventriculum incommodum. Sub inde facies solummodo praerubra et oculi scintillantes.”

9. At vero acuti morbi ex bile oriuntur, cum ad jecur confluxerit et ad caput pervenerit. Sic vero afficitur: jecur intumescit et propter tumorem ad septum transversum expanditur, statimque ad caput, praecipue vero ad tempora, dolor ingruit, neque auribus acute audit, saepe vero oculis non videt horrorque et febris invadit. Haec igitur per morbi initia ei contingunt et quandoque valde quidem, quandoque minus intermittunt; quoque magis morbi tempus processerit, eo corporis dolor major est, oculorum pupillae dissipantur earumque acies hebescit, sique digitum ad oculos admoveris non percipiet, eo quod non videat. — Hipp. de judicat. lib. tom. 1. p. 150—151.

10. In febribus ardentibus (Ἐν πυρετῶσι καυσώδεσιν, biliosis recentiorum) cum aliqua summi corporis perfrictione, ac egestionibus aquae similibus et crebris, oculorum perversio et distortio malum significat, tum vero praecipue, si alto quodam stupore, quem catochon vocant, deprehensi detineantur. Hipp. praedict. lib. 1. tom. 1. p. 168. Conf. §. 39. Nr. 13.

11. Qui in feбри assidua voce defecti jacent et oculis conniventibus nictantur, hi evadunt quidem, si

post sanguinis fluxum ac vomitum ad loquelam et ad seipos redeunt. Sin vero secus accidat, cum spirandi difficultate celeriter intereunt. Hipp. coac. praenot. tom. 1. p. 244. — Stoll hoc effatum ad febrim biliosam referendum esse, docet in rat. medend. tom. 1. p. 33.

12. Oculus fixus cum palpebra superiori pendula et vultu turbato in feбри biliosa sordes delitescentes in primis viis denotat.

13. In feбри pituitosa oculus ab initio languidus, tantum sub exacerbatione paulum splendens, illacrymatus, ulteriori sub decursu obtutus stupidus, cornea et conjunctiva striis mucosis inquinata, palpebrae muco conglutinatae videntur.

14. Si febris vermibus in primis viis nidulantibus supervenit, oculus in primo stadio parum splendens, pupilla perfecte rotunda, dilatata, annuli livescentes circa oculos, palpebrae tumidulae evadunt. — Amaurosis, diplopia, marmarygae frequentiores, quam in alia feбри gastrica.

§. 44.

B. Febres intermittentes.

Signa oculi in febribus intermittibus.

1. Periodicus oculorum rubor cum periodica cephalaea et delassatione febrim *intermittentem larvatam* suspicari sinunt. Torti.

2. Non raro *quotidiana, tertiana, imo quartana febris* sub schemate amauroseos periodicae latet.

3. Dum *quartanarium* paroxysmus jamjamprehendet, pallor oculorum adest. — Van Swieten t. 2. p. 437. §. 734.

4. In *stadio frigoris* claritas oculi, ejus retractio in orbitam, pupillae angustatio, obtutus anxius observatur.

5. Si vero *stadium caloris* adest, oculus multum splendens lucis impatiens albuginea rubore suffusa est, pupilla magis coarctata oscillante motu tremit.

6. *Stadio sudoris* oculus languidus illacrymatus, pupilla dilatata, iris laxa fieri solent.

7. Et *tempore intermissionis*, ubi oculus magis ad statum normalitatis recedit, ejus humidus splendor, vel vero languidus obtutus, albuginea ex albo coerulescens, plus minus sordida, inprimis, si apparatus digestionis morbo affectus fuerit, in societate aliorum symptomatum ex reliquo organismo depromendorum, febrim tantum latere, non abesse testantur.

8. Prouti vero feбри intermittenti character nunc inflammatorius, nunc nervosus, nunc putridus adhaeret, vel vero pro diversa specie status gastrici, cui innitur, cum quo oritur, vel quem producit, etiam horum signa (in prioribus §§. enumerata) pro vario status morborum gradu, plus — minus in oculo depinguntur.

CLASSIS II.: INFLAMMATIONES.

§. 45.

1. Varius observatur oculus in inflammatione diversarum partium, nec eundem, sed contrarium non raro prae se fert habitum. Quae differentia partim a diversa inflammationis causa et diversa inflammatione ipsa, diverso hujus gradu et stadio, partim a vario, quod prehendit organo, ejus ad oculum vicinitate; varia, qua gaudet nervorum vel vasorum copia dependet. — Quod ex descriptione oculi sub varia inflammatione in specie, et in Capite IV., ubi de signis oculi sub vario veneficio tractabitur, sufficienter elucebit. Difficultas, imo impossibilitas, imaginem oculi sub in-

flammatione in genere reddendi, causa est, cur huc nulla, in hac relatione signa adducantur, quae non nisi violenta manu a se invicem separari et in totum iterum colligi debuissent. — Nec omnes inflammationes adductae fuerunt. In nonnullis enim oculus characteristicum signum non largitur, — aliae respectu oculi a se invicem vix differunt.

2. Et cum a nonnullis momentorum supra adductorum signa oculi pro diverso exitu inflammationis varia reddantur, haec sub illis inflammationibus singularibus adducentur, quae in certum exitum prae aliis tendunt.

§. 46.

1. Inflammationes parenchymatosae.

Signa oculi in encephalitide.

1. Quum vero jam proxime ad phrenitidem accedunt, oculos habent vehementer squalidos et ex altero ipsorum acris lacryma effunditur, ac deinde lemas habent et venas ipsorum sanguine plenas, et sanguis stillat e naribus. — Galen. de loc. affect. lib. 5. cap. 4. tom. VII. pag. 489.

2. *Encephalitidi cum furore* convenit oculus fulgens, rubore alto suffusus, siccus, calidus, tumens, prominens, qui in gyro frequenti movetur, aut fixus per intervalla tenetur, summopere lucis impatiens, per vices involuntarie illacrymatus, — non raro strabus. — Pupilla multum coarctata. Obtutus ferox, iratus, truculentus. Marmarygae frequentes vel continuae. Ad vesperam haec omnia in primis invenies.

3. *Encephalitis cum stupore* gerit oculum illacrymatum, multum photophobum, pupillam dilatatam, obtutum ferocem, fixum aut strabum. Dolorem pre-

mentem oculi aeger accusat — clausum hunc servat et difficulter aperit.

4. Bulbus fixus in phrenitide signum instantis delirii.

5. In phrenitide nictitatio frequens vel delirium, vel soporem indicat.

6. Si modicus, sed singularis palpebrae potissimum inferioris tumor, cum facie sui dissimili, decolore, aliquando non sine leviusculi icteri, praesertim per oculos, notis observatur: — praesentem aut instantem soporem in encephalitide denotat. Brendel part. 3. p. 72.

7. In phrenitide bulbus tumens prominensque, aequae ac pupilla multum augustata justum excitant timorem.

8. Si post vulnera capitis, rubor oculorum profundus cum dolore ad locum vulneratum nascitur, encephalitis timenda.

9. Si post vulnera capitis pupilla multum dilatatur extravasatum suspicari oportet. Item, si post eandem causam visus imperfectus evadit, qui tamen et cerebri commotionem annuntiat.

10. In contusionibus cranii et laesionibus meningum si 7. vel 11. die gravis supervenit ophthalmia, signum est mortis imminentis. Klein p. 172.

11. Si oculi magni, inaequales, strabi, albuginea, squalida, cornea pulverulenta evadunt, et continua pupillae dilatatio in phrenitico observantur, — mortem proximam esse, sciendum est.

12. Et phrenitis est, de qua Hippocrates: Qui nigra vomitione refundunt, cibos aversantur, desipiunt, ad pubem nonnihil dolent, cum aspectu feroci et clausis oculis, eas medicamentis purgare tutum non est. Praedict. lib. 1. tom. 1. p. 166. — Scire quemlibet, quaenam Hippocrate purgantia vocabantur, suppono. — Conf. Prosp. Alpin. lib. 5. Cap. 7. p. 455.

§. 47.

Signa oculi in angina parotidea et glossitide.

1. In *angina parotidea* oculi protuberantes, rubore suffusi, illacrymati, veluti in homine strangulato, — difficulter movendi, scintillarum visio observantur.

2. Talem oculum et *glossitis* offert, ad altiorem gradum dum pervenerit.

§. 48.

Signa oculi in pneumonia et carditide.

1. *Pneumonia* oculum splendentem; — mox ab initio, vel in ulteriori decursu rubrum, imo cruore suffusum, pupillam angustiolem, obtutum anxium reddit.

2. Si tantum unus pulmo adfectus, oculus lateris correspondentis has mutationes offert. — Sed tantum inchoante morbo, sub ulteriori decursu alter eadem ratione mutatur.

3. In *pneumonia* bulbi tumentes et multum protuberantes summum gradum inflammationis et maximum periculum denotant.

4. Si in *suppurationem*, *pneumonia* transivit rubor et splendor oculi imminuitur, pupilla dilatatur, oculusque languidus, justo humidior, ac si flevisset evadit.

5. Si vero in *indurationem*, languidus et moestus evadit obtutus, palpebrae tumidulae erysipelacea, levi inflammatione corripuntur et glandulae Meibomii tumentes inveniuntur. Id ultimum signum characteristicum vocat *Löbenstein - Löbel*.

6. In *carditide* aegri oculos splendentes humidosque plerumque claudunt, ex apertis molestias magnas se percipere conqueruntur. *Kreysig*.

§. 49.

Signa oculi in gastritide et enteritide.

1. In *gastritide*, *enteritide*, imo in dolore simplici colico vehementiori faciem characteristicam nemo non

noscit. — Ad quam formandam et oculi contribuunt. Sunt enim in his morbis splendentes, non adeo tamen, quam in prius enumeratis phlogosibus, albuginea rubore suffunditur. — Utrumque symptoma in dolore colico non inflammatorio deficit. — Pupilla coarctata, palpebrae spastice, plus quam in normali statu conniventes, supercilia depressa, ad glabellam sibi approximata in rugis, — oculus illacrymans in orbitam non raro retractus, annulo sublivescente cinctus dolorem, anxietatem, desperationem aegri effatur.

2. Sub oculis livor a Morgagni epist. 34. artic. 9. qua signum *gangraenae intestinorum* ex hernia scrotali incarcerata notatur. — Conf. §. 39. Nr. 8.

3. Conjunctiva livida, — teste *Hintringham*, — symptoma *gangraenae internarum partium*. — De morb. quibusd. comment. tom. 1. §. 148. Lond. 1782.

4. Peculiaris, alias nusquam observandus splendor, corneae et iridi adhaerens, in quem ut adtentus medicus sit, Assalini monet, obtutus hilaris, nonnumquam anxius, caligo, coecitas, oculi perversio *gangraenam* et *sphacelum* comitantur.

§. 50.

Signa oculi in hepatitide et splenitide.

1. In *hepatide acuta*, acies oculi dextri hebescit; hic rubet, albuginea sordida, flava evadit, obtutus vero morosus et tristis.

2. Si *concava superficies* phlogosiprehenditur, croceus color albi in oculo adparet et pupilla angustior, quam in statu normalitatis. — Minus manifesta est flavedo, si *lobus dexter* inflammatur, quam in priori casu, nec tanta, quam si *lobus sinister* morbo adfucitur.

3. Si profunde in *parenchymate* visceris haeret phlogosis, oculi flavus color per plures dies morbo praecedit. Sub morbi ingressi exacerbatione, oculus multum

splendens, rubens, — obtutus anxius et tristis, pupilla multum contracta observatur.

4. In *chronica hepatitis* flavedo impura albugineae, pupilla parum dilatata conspicitur. — Morositas et languor obtutus major, quam in acuta.

5. Si post stadium criticum hujus phlogoseos color flavus per intervalla fere evanescit, postea iterum adparens, non purus, sed sordidus ex fusco flavus, si in cantho oculi interno mucus puriformis adparet, iris laxa et pupilla dilatata est, in *suppurationem morbus transiit*.

6. Et, si oculo ceterum normali, flavedo et obtutus morosus remanet, tunc anne *induratio* adsit, investigandum. Si haec non invenitur, *concretio* timenda.

7. Pessimum vero signum, si flavedo profundius tingitur, obtutus anxius, per momenta ferox evadit; si pupilla ab initio contracta, irregulariter dilatatur et obtuse laciniatur. Exitum enim in *gangraenam* selegit inflammatio. Löbenstein-Löbel.

8. Si *lien inflammatur*, tunc quaere praecipua symptomata in oculo sinistro. Haec in genere cum illis in hepatitis conveniunt. Color tamen albugineae non pure flavus, sed potius ex griseo-flavescentis. Et exitus diversi signa eadem, ac in hepatitis: color tamen descriptus differentiam ponit et sedem morbi indicat.

§. 51.

1. Inflammationes membranosae.

a) Inflammatio rheumatica.

Signa oculi in rheumatismo et inflammatione rheumatica, in specie in rheumatismo simplici, dolore faciei Fothergillii, pleuritide et peritonitide puerperali.

1. *Rheumatica adfectio* aliarum partium turbata, vel incaute suppressa inflammationem scleroticae, mus-

culorum bulbi, inflammationem periorbitae, durae vaginae nervi optici; hinc harum phlogosium certa symptomata (in ophthalmologia enumeranda) inducit. Quin et amaurosis inde orta observabatur.

2. *Doloris faciei Fothergillii* insultum nictitatio frequens antecedit, et copiosum lacrymarum profluvium claudit.

3. Quibus in *morbo laterali* (pleuritide) plurimus ex sputo strepitus in pectore sonat et vultus demissus est, oculusque aurugine suffusus et caligine obductus, in his mors exspectanda est. — Hipp. coac. praenot. tom. I. p. 295. Hujus effati veritatem saepius expertus est Stoll. Rat. medend. tom. 1. pag. 142.

4. In *peritonitide puerperali* obtutus tristis, depressus symptoma frequentissimum. —

§. 52.

b) Inflammatio catarrhosa.

Signa oculi in catarrhis et inflammationibus catarrhosis, in specie in catarrho simplici, coryza, febris catarrhali, angina membranacea et maligna.

1. In *catarrho simplici*, nec non *coryza* oculorum ardor, splendor, rubor, illacrymatio, photophobia, — non raro inflammatio conjunctivae, palpebrarum tumor, spasmus, sensus ponderis in ipsis symptomata sunt communia. — In *stadio critico* muci et smegmatis Meibomii secretio aucta palpebras de nocte conglutinat, et sordes lemosas in canthis accumulari facit.

2. E *coryza habituali suppressa* hebetudo visus et amaurosis saepius oriuntur. —

3. *Febris catarrhosa*, — si sub ejus duratione longiori cutis sicca, tensa et facies flavescens evadit, oculi in orbitam retrahuntur et concavi fiunt, — in hecticam transit. — Hecker. —

4. In *angina membranacea* oculi illacrymantur, splendent et multum protuberant.

5. Secundum *Gruner* oculi prominentes, rubore suffusi in hoc morbo instantem suffocationem praediceunt. —

6. Celeberrimus nobil. a *Raimann* oculos fixos, saepe contorsos, turgorem venarum in palpebris et conjunctiva inter signa numerat, quae mortem proximam in *angina membranacea* indicant.

7. In *angina maligna* *Huxham* oculos graves, rubros, quasi lacrymantes fuisse, notat in tom. 3. p. 101.

8. Idem medicus in eodem morbo, si ceteris symptomatibus consentientibus, (quo pulsum lentum, firmum, aequalem, crustarum faucium secessum faciliorem, respirationem meliorem et liberiolem numerat) aliquis vigor alacritasque restituebatur oculis, omnia salva praedixit; et contra, si — reliquis in pejus ruentibus, — oculi mortui et vitrei evaserint, de vita desperabat. —

CLASSIS III.: EFFLORESCENTIAE CUTANEAЕ.

§. 53.

Signa oculi in efflorescentiis cutaneis, in specie in typho, peste, febris flava, morbillis, scarlatina, variolis, psora, tinea capitis, plica polonica.

1. In *stadio prodromorum typhi*, vertigo et subflavescent color conjunctivae, in *stadio inflammatorio-cattarrhoso* illacrymatio, splendor oculi, rubor conjunctivae, per intervalla obtutus ferox, — in *stadio nervoso* talis observatur oculus, qualis in febris nervosa stupida esse solet. Conf. §. 42. Num. 2. — Stupor in obtutu

peculiaris, characteristicus, nunc photophobia, nunc summa lucis acrioris patientia.

2. Conjunctivae rubor in typho, secundum *Gruener*, signum magnae debilitatis.

3. Si in febris typhosa oculus hucusque languidus, minus pellucidus et caligine obductus derepente multum splendoris acquirit et peculiarem simul habitum, mors proxima, — plerumque post paucas horas intrat.

4. De *typho navali putrido*, qui anno 1740 in duabus navibus bellicis Anglicis ab *Huxham* observatus et sub nomine febris nauticae pestilentialis descriptus fuit, idem observator dicit: Vix ullam memini febrim, in qua scotomiae et falsi oculorum splendores erant tam frequentes. Haec symptomata excipiebat vel haemorrhagia narium critica, vel aequae, ac in aliis aegris, dysenteria cruenta lethifera, tom. 1. p. 237.

5. Quandoque in acutis morbis fit, ut lucem refugiant minimeque acrem lucidum oculis intueri possint, quod signum olim in *peste Patavina* multis fuit familiare, paucique peste infectorum, in quibus hoc signum fuerit observatum, fuerunt, qui superstites evaserunt. — *Prosp. Alp.* lib. 5. cap. 7. p. 453. —

6. *Josephus Skinner*, qua symptomata prodromum in *peste Maltensi* obtutum justo ferociorem observavit. —

7. Alii autores inter signa prodroma pestis oculos fixos, immobiles plane notant.

8. Obtutus tristis, depressus pesti et *febri flavae* communis esse solet.

9. In *stadio prodromorum* in *morbillis* acre lacrymarum profluvium, photophobia, pruritus, dolor, rubor oculi observatur. *Stadium eruptionis*, si *morbilli benigni* sunt, oculum pallide rubescentem; si *inflammatorium characterem* gerunt, oculum splendentem, multum rubentem et lucis impatientem habet; si *maligni* fuerint,

oculus illacrymatus, languidus videtur. *Stadio exanthematis florentis* convenit oculus languidus, non amplius rubore suffusus, iris laxa. —

10. *Scarlatina a morbillis ante eruptionem exanthematis* ipsius profundo rubore oculorum distinguitur; cum in morbillis oculi tantum illacrymati aut aquoso vitreo splendore notabiles sint. Sic Ziegler, vid. *Beobachtungen aus der Arzneywissenschaft, Chirurg. u. gerichtl. Arzneykunde*. Leipzig 1787. S. 95. Tab. 1.

11. In scarlatina rubor conjunctivae signum malum a *Gruner* dicitur, magnam debilitatem denotans.

12. In *variolis*, sub *prioribus stadiis* oculus, uti in morbillis; — si *exanthema floret* pustulae ad palpebras, harum et scleroticae conjunctivam emergentes observari possunt.

13. Sub *initio variolarum* motus convulsivi oculorum signum grave. Landré-Beauvais.

14. Omne *exanthema acutum*, inprimis *morbillosum, scarlatinum* et *variolosum*, inflammationem conjunctivae, specificam inducere valet. — Si in eruptione, decursu aut crisi turbatur, non raro ophthalmitis anterior, serius totalis, nonnumquam amaurosis sequitur.

15. Eaedem sequelae sub iisdem circumstantiis excipiunt *exanthemata chronica*, inprimis *lineam capitis, psoram* et *plicam polonicam*. Ultimas duas incaute suppressas saepius in arthriticis individuis glaucoma designat.

CLASSIS IV. CACHEXIAE.

§. 54.

A. M a r c o r e s.

Signa oculi in febre lenta, tabe et phthisi, in specie in tabe dorsali et phthisi pulmonali.

1. Oculus in febre lenta tempore exacerbationis vivaciter splendens, sensibilis, pupilla parum contracta, —

tempore remissionis languidus, pupilla dilatata, albuginea exquisite alba et humide splendens invenitur.

2. Prouti vero febris lenta vel inflammatoria, vel nervosa, vel gastrica fuerit, varii hujus characteris et varii status gastrici signa, quae ex superius adductis colligi possunt, in oculo gerit. Conf. §. 40. §. 42. §. 43.

3. In omni morbo chronico cum *tabe* oculi in orbitam retrahuntur et concavi evadunt. Palpebrae vero emaciantur, exsiccantur, ita, ut quaevis fibra musculi orbicularis distingui possit.

4. Immobilis ad lucem incidentem pupilla in *tabe*, nec non in *phthisi* pertinacitatem morbi designat.

5. In ultimo stadio *tabidorum* et *phthisicorum* lemiae palpebras conglutinantes malum dant omen.

6. *Tabem dorsalem* vertigo, hebetudo visus et diversa oculi hallucinatio, — ad finem vergente morbo, coecitas amaurotica comitari solent.

7. In *phthisi pulmonali* sclerotica colorem margaritaceum acquirit.

8. Si *vomica magna in pulmone rumpitur*, pupilla dilatatur: quod signum periculum imminens indicat.

9. Diplopia in ultimo *phthisicorum* stadio symptoma malum.

§. 55.

B. *Cacochymiae*.

Cachexiae cum praevalente abnormi sanguificatione.

Signa oculi in scorbuto et chlorosi.

1. *Scorbutum* varii gradus in oculo denotant: annuli ex viridi-coerulescentes circa oculos, maculae lividae palpebrarum, echymoses harum et conjunctivae, obscurationes corneae sanguineae, haemophthalmus, lacrymatio sanguinea, imo cachexia oculi sanguinea. — Obtutus moestus, languidus, pupilla dilatata, tarda. — In *sypilitico-scorbuticis* ophthalmo-blenorrhoea maligna

non raro gignitur. Et in *arthritide scorbutica* visus duplicatus, testante *Drawiz*, frequens est.

2. In *chloroticis* pallescunt palpebrae, tumet simul pallida caruncula lacrymalis. Cinguntur oculi languidi annulis livescentibus, dilatatur pupilla, et si haec ad lucem incidentem immobilis fere manet, malum diuturnum designat.

§. 56.

Signa oculi in helminthiasi.

1. Aegri verminosi habent oculum languidum, per vices illacrymatum, splendoris expertem, albugineam lactei, coerulescentis coloris, pupillam multum dilatatam, annulos lividos circa oculos. Motum abnormem musculorum bulbi et palpebrarum, diversas hallucinationes visus frequenter experiuntur.

2. Oculi sub somno imperfecte clausi inter signa helminthiasis a pluribus ponuntur medicis. — Nil mali vero denotant, aeque ac inaequalis oculorum magnitudo in hoc morbo observata.

3. Ejusdem significationis in verminosis est strabismus, oculi inquieti celer motus, pupilla tarda, fere immobilis.

4. Si pupilla in verminosis contracta est, ad *oxyuris vermicularis* praesentiam inde concludit Gruner.

5. Marmarygae, floccorum visio, diplopia, hebetudo visus, imo per intervalla amaurosis, frequentia symptomata vermium in intestinis nidulantium, quin mali quid semper portendant. — Et erysipelas conjunctivae vermibus originem saepe debere, sub febre verminosa diximus.

§. 57.

Signa oculi in hydrope vario, in specie in anasarca, hydrocephalo, hydrorhachia, hydrothorace, hydrocardia et ascite.

1. Tumor laxus circa oculos cum facie pallida, rubor naturalis internae faciei palpebrarum pallescens,

sanguinem aquosum, cruore orbatum et *leucophlegmatiam* indicant.

2. Tumor et pallor carunculae lacrymalis, oedema palpebrarum pallidarum et conjunctivae *hydropem universalem* et *anasarcam* comitantur.

3. Hydropi universali non raro sese adsociat *hydrophthalmus*.

4. *Hydropem ventriculorum cerebri in stadio inflammatorio* aucta sensilitas, contorsio oculorum in orbitam retractorum et sub somno semitectorum, pupillae angustatio, — in *stadio exsudationis* strabismus cum oculis deorsum et introrsum directis, non raro multum mobilibus, diplopia et varia hallucinatio visus, spasticus motus palpebrarum semiapertorum; in *stadio paralyseos* coecitas perfecta, conjunctiva sanguine suffusa indicant.

5. Inter signa, quibus *helminthiasis et praesertim febris verminosa ab hydropem ventriculorum cerebri* distinguitur, pertinet — pupilla in priori morbo dilatata, quin oculus lucis impatiens, rubens aut inflammatus sit.

6. In *hydrocephalo interno* amaurosis frequentior, quam in *externo*; in hoc saepius observatur, quam in *hydrorrhachia*.

7. In *hydrocephali periodo ultima* palpebra superior una alterave immobilis et paralytica evadit. Eodem tempore, nonnumquam etiam prius, pupilla unius vel utriusque oculi non amplius contrahitur, et ad lucem intensissimam dilatata manet. — Ultimum hoc symptoma 5. — 6. — 7. — die, rarius 2. — 3. — ante mortem intrat. — Whytt: *Sämmtl. zur prakt. Arzeneykunst gehörige Schrift. Aus dem Englisch. Leipzig 1771.*

8. Si in *hydrocephalicis* pupilla antea multum dilatata, naturalem recuperat magnitudinem, mors in propinquo, et 3.—4. die post observatum hoc sympto-

ma intrat. — Id vero proprii habet tunc temporis pupilla, quod ad omnem fortiorem stimulum nervos in genere, aut olfactorium, aut opticum in specie adgredientem, ad pristinam amplitudinem dilatetur. — Whytt.

9. In hydrocephalo pupilla dilatata signum characteristicum. Contrahitur vero in hoc morbo luce appropinquata, sed nondum remota, nihilominus post breve tempus dilatatur. — Friedreich. Conf. cum Nr. 7—8.

10. Hydrocephalici, antequam soporosi evadunt, visione varia terrefiunt. — Whytt.

11. Si hydrocephalici coeci evadunt, et album oculi inflammatur, mors proxima est. — Whytt.

12. In hydrocephalo, — morte instante — oculus unus alterve clausus observatur. — Odier.

13. In hydrocephalico, si contorquentur oculi, malum signum. — Quin.

14. Photophobia frequens symptoma in hydrocephalo, — malum semper.

15. Tumor sub oculis, mane in expergefactis observandus, et sub decursu ulteriori diei evanescens, suspicionem *hydrothoracis incipientis* movet. — Berends.

16. *Hydrothoracem evolutum* oedema palpebrarum superiorum comitari solet, et sacci lacrymalis levis tumor.

17. Annulus lividus circa oculos cum colore terreo faciei et lividis plagis ad angulos oris et nasi, si simul asthmatica est respiratio, *hydrothoracem* vel *hydrocardiam* indicat.

18. Dictum fuit supra — (§. eod. Nr. 1) tumorem laxum circa oculos et internam faciem palpebrarum pallidam sanguinem aquosum designare. Hoc generale, effatum in sequentibus specialem explicationem invenit. Hippocrates enim praedict. lib. 2. t. 1. p. 228. sic loquutus est: At, qui partes eas, quae subsunt oculis,

vehementer sublatas habent, magnos lienes habere comperies. Quod si pedum quoque tumores adsint, ex aqua quoque laborare videbuntur. Sed et ventrem et lumbos inspicere oportet.

In alia quoque relatione, nimirum in ea ad Nr. 15. ejusdem §. notabilis est haec Hippocratis sententia. Idem symptoma, quod Berends in hydrothorace novit, alter in *ascite* jam noverat.

19. Et commentarium ad „pallidam palpebrarum internam faciem” — largitur observatio, quam Morgagni in epistola 38. art. 29. notat. — Laniones, oves mercantes, attollentes superiorem animalium palpebras, et harum, nec non eorum, quae oculo sunt circumjecta, colorem animadvertentes, ex rubro sanas oves, ex albido morbidas et quidem vel hepatis induratione vel *hydropse ventris* internoverant. Conf. Boërhave, praelect. academ. §. 868.

20. Et *van Swieten* de hujus signi utilitate convictus fuit, dum ait: „Verum imprimis palpebrarum interna superficies, canthus oculi major et tunica adnata oculi solent a medicis caute examinari: ubi vasa numerosissima et quidem diversi generis, sanguinea, serosa, lymphatica se conspectui offerunt.”

„Patet ergo, diversas series vasorum, variosque humores, per vasa oculorum fluentes, posse conspici a medicis, sicque judicium ferri de qualitate humorum, qui per vasa nostra moventur.” — Tom. 3. p. 472. §. 1094.

§. 58.

C. Cachexiae cum praevalente morbo singularium systematum.

1. Cachexiae cum praevalente morbo systematis cutanei.

Signa oculi in lue venerea, in specie in gonorrhoea virulenta et lue universali.

1. Qui *gonorrhoea* laborant, annulos lividos circa oculos gerunt, albugineam pallide rubram, oculum hu-

midum habent. In *gonorrhoea posthuma* oculus sordibus mucosis inquinatur, iris laxa, pupilla dilatata est.

2. *Gonorrhoeam virulentam suppressam*, praesertim in viris, inflammatio conjunctivae varii gradus, plerumque oculi dextri sequitur.

3. Hinc *Klein* monet: Si pituita copiosior, crassior, flavus, humori purulento fere similis, majori impetu sive effluxu ex oculi cantho sine evidenti causa erumpit, de gonorrhoea repente cohibita cogitatio in suspectis.

4. *Syphilis universalis* imminuto splendore corneae, quae annulo vasculoso cingitur, pupilla tarda, contracta; aucta sensilitate oculi, imminuta ejus acie citoque exhaurienda se manifestat, quin adhuc speciali morbo in hoc organa indicetur.

5. Saepe tamen se prodit in *ulteriori decursu* inflammatione iridis et corneae simul, vel et lippitudine aut ophthalmo-blenorrhoea.

6. Quapropter *Klein*: In contumaci oculorum inflammatione de contagie inquire syphilitico. *Interp. clinic.* p. 173.

7. Si in suspecto madarosis adest, vel milphosis, exostosis in orbita tangitur, vel vero non; bulbus tamen prominet et coecus evadit, vix de lue universali dubitandum. — Sed et pannus, varices chorioideae, cataracta in tali individuo medicum attentum faciant.

8. In *rhachitico-syphiliticis* amaurosis, exostoses, hyperostoses, cariem ossium cranii, praesertim ad sellam turcicam indicant.

§. 59.

2. Cachexiae cum praevalente morbo systematis lymphatici.

Signa oculi in morbo scrophuloso.

1. *Diathesis scrophulosa* per palpebras laxas, ad marginem tumidas, cilia longa, rigida, glandulas Meibomii multum evolutas, auctam earum, conjunctivae

et glandulae lacrymalis secretionem, per corneam convexiorem, insigniter vel minus, quam in norma splendentem, per albugineam ultra normam albidam, per pupillam tardam et immobilem fere, — per frequentem blepharo- et ophthalmo-spasmus, annulos livescentes circa oculos, visum hebetem in oculo manifestatur.

2. *Morbum scrophulosum* ipsum varia conjunctivae inflammatio, corneae, iridis et lentis phlogosis, hordeolum, chalazion, pannus, ulcera palpebrarum et corneae, varices chorioideae, cataracta, amaurosis, fungus medullaris et facilis quarumdam harum affectionum in carcinoma transitus comitare solent.

CLASSIS V.: MORBI SE- ET EXCRETORII.

§. 60.

1. Profluvia.

Signa oculi in profluviis cruentis, in specie in epistaxi, haemoptoe et metrorrhagia.

1. Oculus clausus vel saepius nictitans, si alia bona adsunt symptomata, spem largitur *criticae epistaxeos* brevi subsequentis. Conf. §. 43. Nr. 11.

2. Quodsi inviti illacrymentur, aut splendores discernere sibi videantur, aut manus admoveant naribus velut scalpentes, tunc jam non adfore, sed adesse *sanguinis fluxiones* conspicies. Galen. Conf. §. 53. Nr. 4.

3. Si rubor oculorum et caligo ante oculos cum dolore tensivo capitis et nuchae, cum rubore et pruritu nasi intrant die critico, epistaxim criticam praedicunt.

4. Hinc Hippocrates: Cervicis dolor, oculi praerubri, sanguinis eruptionem praenunciant. Praedict. lib. 1. t. 1. p. 178.

5. Quibus invitis per febres acutas atque adeo ardentes, lacrymae effluunt, in his, dum cetera exitialiter non se habeant, sanguinis ex naribus profluvium expectandum est. In his, si quidem qui male habent, non sanguinis eruptionem, verum mortem portendunt. Hipp. de morb. vulgarib. lib. 1. p. 403—404.

6. Quibus in febribus ardentibus ad oculos aliquid abscedebat, hi praeurbras manus habebant et sanguinem ex naribus profundebant. Hipp. de morb. vulgarib. lib. 4. p. 527—528. Conf. §. 65. Nr. 8.

7. Oculos multum splendentes Friedreich saepe in *haemoptoicis* observavit.

8. Oculi languidi, concavi, annulis livescentibus cincti, in feminis *nimia menstruatione* vel *metrorrhagia* debilitatis esse solent. Sic et marmarygae, visus hebes, oculorum caligatio locum habent non tantum in hoc casu, sed post quamvis uberio rem haemorrhagiam. — Haec ultima symptomata tunc temporis nil boni denotant.

§. 61.

Signa oculi in profluvii humorum secretorum, in specie in fluore albo, profluvio seminis, diarrhoea.

1. In genere, *instante critica evacuatione* per sudorem, vomitum, diarrhoeam etc. non raro habitus totius oculi multum mutatur, quin inde periculum, sed contra sanatio. Ergo ad tempus morbi et signa reliqua praegressae coctionis, medicum adtentum esse oportet.

2. Oculi retracti in orbitam, sub *fluore albo* diuturno observantur, quin portendant periculum, diuturnitatem morbi tantum designantes.

3. Oculus languidus sit et annulis lividis cingitur post *frequentes pollutiones*.

4. Quin etiam per somnum, an ex oculis aliquid subappareat spectare oportet. Ubi namque non commissis palpebris ex albo quid subappareat, id, si neque

alvi profluvium, neque medicamentum purgans expressit, neque ita dormire consueverit aeger, pravam est indicium et lethale admodum. Hipp. praenot. lib. tom. 1. p. 91. Conf. aphorism. tom. 3. p. 756.

5. In febre ortus oculorum rubor diuturnam alvi malignitatem prae se fert. Hipp. Coac. praenot. tom. 1. pag. 267.

6. Erumpentes circa oculos eminentiae, dum aegri ex morbo recreantur, prorumpentis alvi spem faciunt. Ibid. pag. 268.

7. Oculus post diuturnam diarrhoeam idem observatur, uti post quamcumque aliam debilitantem evacuationem humorum nobilium. Conf. §. 60. Nr. 8.

§. 62.

2. Retentiones.

Signa oculi in retentionibus sanguineis, in specie in amenorrhoea suppressionis et emansionis, plethora venosa et in morbo haemorrhoidali.

1. Ex repentina profluvii sanguinei cujuscunque suppressione marmarygae, caligatio oculorum, ophthalmitides, haemophthalmus, imo amaurosis saepe intrant.

2. Menstrua suppressa sanguinem ex interno oculi cantho stillare fecerunt.

3. In feminis tempore annorum climactericorum, si menstrua silent, non raro puriformis secretio ad canthos oculorum nascitur.

4. Sic et hydatidis palpebrarum, chorioiditis, imo scirrhus et carcinoma tunc temporis frequenter occurrunt.

5. Haemorrhoidalis consuetus fluxus si turbatur aut supprimitur, imo plethora tantum venosa per palpebrarum hydatidem, varices earum et chorioideae, nec non inflammationem hujus membranae enuntiatur.

§. 63.

Signa oculi in retentionibus excernendorum, in specie in obstructione alvi, ictero, arthritide.

1. Oculi auctus splendor, albugineae praesertim ad canthos vasculosus rubor, nonnumquam hordeolum, marmarygae, caligatio oculorum *alvum obstructam* comitantur.

2. Ex palpebrarum et albi oculi flavedine *icterum*, ex colore nigricante flavo *icterum nigrum*; ex flavo viridicante *icterum viridem* cognoscimus. — Imo flavo colore tincta sub hoc morbo objecta alba nonnumquam conspiciuntur.

3. Alius morbus regius. Febris levisprehendit, caput gravitas detinet, ipse vero ex virore pallidus (*χλωρος*) evadit, praecipueque oculi etc. Hipp. de morb. lib. 2. tom. 2. pag. 247.

4. In *arthriticis* sensus formicationis ad oculum, spasmus musculi orbicularis, photophobia, epiphora, acris secretio glandularum Meibomii spumae albae similis, debilitas visus, album oculi subsordide livescens, tardus iridis motus, pupilla dilatata, haud pure nigra, *arthritidem* in organismo *delitescentem* designant.

5. Chalazion, tylosis, varices chorioideae, inflammatio conjunctivae oculi, praesertim sinistri, — serius iridis, vel chorioiditis, nec non bulbi totalis inflammatio *arthritidis* ad altiorem gradum evolutae, aut in alia parte, quam impetu suo adgrediebatur, *suppressae* testimonia sunt, quae oculus largitur medico.

6. Sic et pannus, cataracta, glaucoma, praesertim in feminis tempore climactericorum annorum — amaurosis, cirsophthalmus, fungus haematodes, cancer oculi.

CLASSIS VI: NEVROSES.

§. 64.

Signa oculi in vesaniis, in specie in fatuitate, moria, melancholia, mania, nymphomania et satyriasi.

1. Oculus emortuus, mere stupidus, nullum affectum effatus, ad summum bruta ira vel libidine, vel insatiabili esurie movendus, *fatuitatis altioris gradus* characteristicum signum.

2. Varia vero, et cito cum alia alternans idea, quam mens *moria* detenta gignit, varius, isque cito cum alio mutandus affectus, qui animum moriaci commovet in oculo vesani hujus speciei refulgens summa cum veritate adparet. — In *moria*, aequae ac in reliquis vesaniis pretium semioticum oculi in relatione physiognomica et pathognomica probe cognoscere valebit medicus.

3. *Melancholicis* communis est oculus languidus, obnubilatus, pavidus, palpebra superiori plus quam in normalitate tectus, timens alienum obtutum, nonnumquam fixus et ferox. Colorem albi flavo-viridescentem adparere, dicit van Swieten t. 3. p. 473. §. 1089. Pro varia fixa idea et affectu vario, quo illa gignitur, timor, desperatio, moeror, vitae taedium, amor, ecstasis tempore paroxysmi in oculo depingitur.

4. Oculum *maniaci* tempore paroxysmi ab illo irati vix distinguere valebis. Est enim ira brevis furor. — Conf. §. 33.

5. Et *nymphomaniam* huc trahimus et *satyriasim*, in quo morbo oculus pudoris oblitus fervidum et insatiabilem libidinis stimulum aperte effatur. — Strabismus nymphomania correptas saepius experiri *Gruener* dicit.

6. Quamdiu vesanorum obtutus, etsi parum tantum, ferox, vel pavidus, vel ambiguus manet; — tamdiu sanati dicendi non sunt.

§. 65.

Signa oculi in dyserethesiis, in specie in convulsione, tetano, trismo neonatorum, tussi convulsiva, asthmate Millari, vomitu et paralyysi.

1. Oculorum hebetatio cum animi defectione promptam convulsionem indicat. Hipp. coac. praenot. t. 1. p. 268.

2. Vox acuta, ejulabunda et oculorum hebetudo convulsionem minantur. Hipp. coac. praenot. t. 1. p. 273.

3. Tetano et oculus tetanicus convenit. Insultui vero vertigo et oculorum caligatio praecedere solet.

4. Inter symptomata prodroma trismi neonatorum strabi, inter concomitantia fixi et aperti oculi cum dilatata pupilla pertinent.

5. In primo stadio tussis convulsivae oculi, veluti in catarrho simplici prospiciunt. Conf. §. 52. Nro. 1. — In altero stadio, imprimis sub insultu ipso oculi protuberantes, illacrymati, conjunctiva cruore suffusa, albugineae vasculosus rubor observantur. — Tertium stadium oculos habet multum languidos, lividis annulis cinctos. Non raro echymoma palpebrarum et hebetudo visus praegresso stadio relinquuntur, — ulterior diuturna.

6. Oculi splendentes et protuberantes sub insultu asthmatidis Millari observantur.

7. Vomitus critico, rarius symptomatico, vertigo tenebrosa, tremor labii inferioris, screatio frequens, dolor in praecordiis praecedunt.

8. Si quis in feбри non lethali dixerit, caput dolere, aut tenebrosos quiddam ante oculos observari, si etiam oris ventriculi morsus accesserit, biliosa vomitio aderit. — At, quibus per hujusmodi febrim

caput dolet et pro tenebris ante oculos apparentibus visus hebetudo contingit, vibrantesque splendores obversari videntur, et pro oris ventriculi morsu in praecordiis, dextra vel sinistra parte contentio quaedam, neque cum dolore, neque cum inflammatione suboritur, iis pro vomitu sanguinem e naribus profluxurum expectandum est. — Hipp. praenot. lib. 1. tom. 1. pag. 117—118.

9. Ex vomitione singultus et oculi rubentes malo sunt. — Hipp. aphoris. p. 757. — Et *Celsus*: Mali etiam morbi signum est, post vomitum singultum esse vel rubere oculos.

10. Echymoma palpebrarum et conjunctivae, rubor et inflammatio oculi post vomitum violentum non adeo rara.

11. Si in *paralysi* oculus lateris adfecti minor evadit et retrahitur, vix ulla de sanitate recuperanda spes adest.

12. Strabismus non rarus praecursor *hemiplegiae*.

§. 66.

Signa oculi in nevrosibus mixtis, in specie in hypochondria et hysteria, in epilepsia, comate, apoplexia, animi deliquio et hydrophobia.

1. *Cheyne* tumorem carunculae lacrymalis pro signo characteristico non tantum *mixtarum*, sed *omnium nevrosium* agnoscit.

2. In *hypochondria* obtutus tristis, morosus, albinea flavescens vel sordide flava adparet. — *Hysteriam* splendor oculi deficiens cum simultaneo duriusculo tumore glandulae lacrymalis secundum *Zimmermann* designat. Vid. *Von der Erfahrung in der Arzenekunst*, 3. Bd. 8. K. S. 219, Zürich 1794.

3. *Utrique morbo* annulus lividus oculos cingens, frequens et varia hallucinatio visus, motus palpebrarum et bulbi irregularis, fletus involuntarius conveniunt.

4. Strabismus, sensilitas oculorum magna, visio scintillarum, myiodesopsia, diplopia symptomata frequentia sunt hysteriae et hypochondriae, quae partim paroxysmum instantem indicant, partim comitantur. Nil mali designant, licet hypochondriaci magnum inde timorem concipiant, et hysteriae non sat saepe periculosa haec signa medico patienti referre possint.

5. Neque timendum, si in his morbis cum palpebris non penitus commissis dormiant.

6. Prominens bulbus in paroxysmo hysterico ejus vehementiam indicat.

7. *Epileptici ante insultum splendentia fulgura, vel stellam lucidam ad imum horizontem videre credunt, quae crescens magnitudine et splendore iis magis magisque appropinquatur. — Sic ait Aretaeus.*

8. Nictitatio frequens, oculus fixus, vel in gyro motus, vel contorsus, — obtutus ferox, vertigo tenebricosa consuecte insultui epileptico praecedere solent.

9. In infantibus, si sub sommo albi quid inter palpebras adparet, epilepsiam haud levem futuram indicat.

10. *Sub insultu ipso abolitio visus adest, oculi contorquentur, ita, ut tantum album eorum sit visibile, strabi, lусi evadunt, prominent vel retrahuntur, aperiuntur et clauduntur per intervalla.*

11. Hinc Hippocrates de morbo sac. lib. t. 1. p. 600. dicit: In morbo sacro oculi pervertuntur, cum venae aëre excluduntur et contorquentur.

12. *Extra paroxysmum epileptici oculum languidum habent, in motu tardum; si morbus longius duraverit, obtutum stupidum, emortuum. — Si epilepsia ex vitiiis organicis cranii aut cerebri ipsius fuerit orta, pupilla multum dilatata observatur. Et, si ex vermibus praeterea annulus lividus oculum cingit.*

13. Dilatatio pupillae cum ejus, sub luce incidente,

immobilitate, non adeo timenda est in *affectione soporosa post insultum epilepticum*.

14. Ex epilepsia frequenter recurrente amaurosis oriri potest.

15. Gutta serena, si superveniat epilepsiae, plerumque signum mortis est, vel vehementiae morbi insuperabilis. — Klein.

16. Somnus cum oculis semiclausis *soporosis et comatosis* convenit.

17. Immobilis sub luce incidente pupilla in sopore morbum gravem denotat.

18. In *lethargo* palpebrae tumentes mortem in proximo esse designant.

19. Vide §. 39. Nr. 13.

20. Tumor palpebrarum in *habitu apoplectico* occurrit, saepe *post insultum apoplecticum* remanet, ubi paralysis timenda.

21. Blepharoptosis paralytica apoplexiae instantis signum, vel praegraessae sequela. Et, si sub blepharoplegia functiones mentis turbantur vel hebetes fiunt, *apoplexia lethalis* timenda est.

22. Diplopia, marmarygae, vertigo tenebrosa *prodroma* symptomata sunt *insultus apoplectici*.

23. Si vero *reiteratio insultus* instat, illacrymatio spontanea oculorum observatur.

24. In iis, qui habitus apoplectici sunt, si vertigo incedit, sive capitis dolor, aut tinnitus aurium, aut falsi et subiti splendores; nisi caveantur mature, certa sunt saepe saepius subitaneae mortis praenuncia. — Huxham, t. 1. p. 203

25. *Apoplexiam a virium suppressione instantem* vertigo, chrupsia, visus scintillarum et flammularum, oculi rubentes indicant: illam *ex virium debilitate* vertigo, caligatio, et si *debilitas nervosa praevalet*, oculorum contorsio, pupillae angustatio, blepharoptosis paralytica.

26. *Sub ulteriori decursu insultus ipsius in apoplexia a virium suppressione oculi rubri, sanguine suffusi, prominentes, fixi, — pupilla dilatata, immobilis et palpebrae tumidae observantur, in reliqua vero specie (vide Nrm. 25) oculi vitrei, perfracti, palpebrae clausae, spastice contractae, haud tumidae.*

27. *Si amaurosis apoplexiae supervenit, signum lethale esse solet, secundum Klein.*

28. *Malum quoque signum, si bulbus tumens ex orbita multum prominet.*

29. *Et gravem morbum denotat pupilla sub luce fortiori incidente immobilis.*

30. *Animi deliquio vertigo, scintillarum visio, chrusp-sia, caligatio oculorum splendoris corneae nativi immi-nutio, bulbi contorsio praecedunt.*

31. *Hydrophobiae prodroma symptomata, photopho-bia, pupilla multum angustior, profundus conjunctivae rubor, obtutus fixus esse solent. — Sub ipso paroxysmo, praeter photophobiam auctam, scintillarum et flamm-arum molesta visio adest. Oculi audaces, feroces truculenti evadunt. — In lucidis intervallis obtutus tristis et dejectus observatur.*

32. *Si in insultu hydrophobico oculorum magna sensilitas, scintillarum visio cum pupilla multum angustata et bulbi rotatione locum habet: periculum magnum est et proximum.*

33. *Gorry (Journal de Medicine, Chirurgie et Pharmacie par Corvisant, Tom. 13. p. 83) in cadavere hydrophobici 12 horas post mortem sensilitatem iridis ad lucem, ejusque mobilitatem eandem invenit, ac in normali statu hominis vivi.*

Caput IV.

Semiotice oculi medico-forensis.

§. 67.

Plura eorum, quae ad hoc caput relationem quamdam habent, in uno alterove priorum trium collecta sunt. — Ubi necessaria praesenti scopo erunt, ad evitandam plenariam repetitionem, tantum caput, — paragraphus, numerus, in et sub quo continentur, signabuntur. — Alia, quae praevalente jure in hoc capite conscribenda mihi videbantur, uberius dilucidata huc invenientur. Omnia! certo principio et fundamento ordinanti superstrui debebant. Hoc quaerem, diu haesitare non potui, eum seligere et sequi divisionis ordinem, quem posuit celeberrimus professor Bernt in libro scholastico: „Systematisches Handbuch der gerichtlichen Arzneykunde zum Gebrauche für Aerzte, Wundärzte, Rechtsgelehrte &c. &c. Dritte Auflage. Wien 1828.

§. 68.

CAPUT PRIMUM.

Inspectiones legales circa hominem sanum.

Sectio I. Inspectiones legales circa aetatem et durationem vitae.

1. Quatenus oculus diversa aetate sat notabiles experitur et exhibet mutationes, eatenus si *aetas determinanda a medico forensi* probe et caute examinandus et in usum trahendus erit. Vide Cap. I. §. 9—§. 13. inclus.

Sectio II. Inspectiones legales circa deformitates corporales et sexum dubium.

2. Individua humana, quorum oculi monstrose conformati, cujusmodi sunt, quae vel oculis omnino

carent, vel unicum, vel tres aut quatuor habent, vel alienis partibus sitos, partim *monstris*, partim *portentis* adnumeranda erunt. — Conf. *Joan. Schenk a Grafenberg* observat. medic. rar. nov. admirab. Francofurti 1609, lib. I. de oculis pag. 163.

3. Quatenus in *sexu dubio hermaphroditorum adultorum* determinando non tantum partium genitalium conditio, sed et omnes reliquae differentiam inter virum et feminam ponentes notae considerari debent, eatenus examen oculi, qui in adultis diversi sexus discrimen sat notabile offert a medico forensi sub tali determinatione numquam negligendum erit. Vide Cap. I. §. 15.

Sectio III. Inspectiones legales circa potentiam generandi humanam.

4. Si in *querelis*, ortis inter conjuges de *intemperantia stimuli sexualis*, hujus *intemperantiae causa determinanda est*, attentum esse oportet medicum forensem in signa, quibus oculus satyriasim aut nymphomaniam enuntiat. Vide Cap. III. §. 64. Nrm. 5.

5. Oculi saepius rubentes, tumentes, illacrymati, splendore pristino privati, obtutus languidus, visus hebes, annuli lividi circa oculos, — secundum *Langhaus* somnus cum palpebris imperfecte clausis inter ea signa pertinent, quae *vitium manustuprationis* verosimile reddunt.

Sectio IV. Inspectiones legales circa graviditatem et partum.

6. In *cruenda graviditate celata, simulata vel imputata*, oculus largitur quaedam signa, de quibus vero monendum, quod nunquam inter ea pertineant, quae graviditatis praesentiam aut absentiam certam, sed tantum verosimilem reddere valent; nusquam vero pro se, sed semper in simultanea consideratione cum reliquis symptomatibus, quae in tali casu exploranda sunt.

Huc pertinent: Oculus in orbitam retractus, concavus, lividis annulis cinctus, palpebrarum et nonnumquam albi oculi subflavescens color, natus corneae splendor imminutus, vel abnormiter auctus, fletus fere involuntarius aut admodum facilis, varia hallucinatio visus, amaurosis derepente intrans, cum vomitu saepe juncta, ante partum vix tollenda.

7. *In cruendo partu post graviditatem celatam aut simulatam rarius medico forensi continget, rem cognoscere ex oculo, nisi excipiamus ex metastasi lactea oriundam amaurosim, certis signis comitatam (siehe Handbuch der Augenheilkunde von Rosas, 2. Band) aut hypogalam ex eadem causa, quae pro partu loquuntur.*

Sectio V. Inspectiones legales circa filiationem.

8. *Partum praematurum fuisse, foetum ergo immaturum, sed vitalem esse aut fuisse, cognoscit medicus, — praeter reliqua signa, — e sequentibus symptomatibus, quae oculus largitur:*

a) *Cilia et supercilia tenuia, parca, nondum plenarie evoluta inveniuntur.*

b) *Glandulae Meibomii et conjunctiva penitus formatae videntur.*

c) *Cornea ad confinia scleroticae crassior, ad axem opticum tenuior, crassitiem septima circiter lineae parte hoc loco habens, sat opaca adhuc, coloris ex spadiceo ravoque mixti est.*

d) *Sclerotica crassior et tenacior, quam in foetu abortivo.*

e) *Mense septimo in membrana pupillari hiatus minor, qui mense octavo ad pupillam amplam dilatatur, invenitur.*

f) *Iris a transparente uveae pigmento in septimo mense lurida, — eo absterso pallida, fibras radiatas*

jam exhibens; — octavo mense colorem futurum certiore gerens conspicitur.

g) *Chorioidea* in utraque superficie profundius tincta, quam in foetu abortivo; — *corpus ciliare* ejusque *processus* bene distingui possunt.

h) *Lens crystallina* ad medium usque octavum mensem prorsus opaca; — tunc vero pellucidior aliquantum, rosei coloris, formae magis globosae.

i) *Corpus vitreum* minus opacum, quam lens crystallina, pallidissime rubet, solidiusculum, non diffusum.

k) *Retina* suaviter rubescentis vel albescentis coloris, plicam suam, nondum vero maculam luteam gerit.

9. *Partum maturum, ideoque foetum* cognoscit medicus ex iis signis oculi, quae promiscue cum symptomatibus, facile separandis, aetatis infantilis profectioris ex oculo depromendis adduximus in Capit. I. §. 9.

10. *Testimonium superfœtationis*, quae in femina per Aethiopem penes Caucasicum fieret, in recenter nato, antequam color cutaneus varietati humanae conveniens penitus certus manifestaretur, ex oculo differenti desumi possit. Vide Caput I. §. 21 — §. 22.

11. *Ad eruendam fraudem in partu suppositio* medicus forensis in illa symptomata oculi sit attentus, quibus infans recens natus, ab illo provectoris aetatis differt. Vide Cap. I. §. 9.

§. 69.

CAPUT SECUNDUM.

Inspectiones legales circa hominem aegrotum.

Sectio I. Inspectiones legales circa morbos dubios.

1. *Ad detegendam fraudem vel vero veritatem in morbis dubiis duplici ex respectu* medicus forensis examinat oculum:

a) *Respectu pathologico.* Sunt enim morbi, — qui dubii saepe evadunt, — complures, quibus signa characteristica in oculo depicta conveniunt. — Ergo si medicus in morbo, qui simulatus, celatus aut imputatus habetur haec signa, — in societate reliquorum, quae huc necessaria requiruntur, — invenit, morbum verum praedicabit. — Si vero non, tunc, vel reliquis cum hac sua observatione concordantibus, fraudem agnoscit, vel caeteris exploratis cum signis oculi non correspondentibus, merito suspicio fraudis movebitur.

b) *Respectu psychologico.* Si enim sub morbo celato vel simulato in oculo aegri adparet timor, anxietas, poenitentia, pudor, animus dolosus, tunc ad fraudem concludit et viceversa. Exercitatus enim valde deberet esse homo in dolis, qui propriam conscientiam adeo placare intelligeret, ut nullo motu aut obtutu oculus culpam proderet. — Conf. Caput I. §. 35 et 36. — Hinc, in morbis imputatis, ubi fieri potest, et imputantis oculum examinet medicus, licet hoc magis iudicis officium sit.

2. Ad morbos simulatos, in quibus signa oculi examinet medicus forensis, praesertim sub respectu pathologico, (psychologicam enim explorationem in omni casu instituat) pertinent:

a) *Vesaniae variae.* Certa enim gerunt signa in oculo, e quorum defectu ad fraudem concludere valebit. Vide Cap. III. §. 64.

b) *Somnambulismus.* Oculi in simulato somnambulismo plerumque aperti, quin pupilla dilatata, aut sub luce intensiori incidente immobilis sit. — Si vero oculi clausi essent, tenuitus pellucida palpebrarum respicienda, quae idem experimentum admittit circa pupillam instituendum.

c) *Morbi convulsivi.* In his an oculi normaliter, — vel spastice moveantur, — vel fixi teneantur? — an

pupilla ultram normam dilatata aut contracta sit, an photophobia, vel summa, vel naturalis lucis patientia adsit? investigandum. Conf. Cap. III. §. 66. Nrm. 1—15.

d) *Dolores varii*. In his, an oculus dolorem exprimat an non? videndum est. Conf. Cap. III. §. 49. Nrm. 1.

e) *Animi deliquium, asphyxia*. Conf. Cap. III. §. 66. Nrm. 30.

f) *Amaurosis*. In hac, si vera adest, obtutus a normali alienus, — exigua in profundo oculi obscuratio, pupilla sub luce fortiori incidente immobilis, et si unus tantum oculus adfectus est, sano clauso, dilatata, nec amplius ad motum perducenda, observatur. In *coecitate* e quavis causa palpebrae admoto celeriter quodam corpore haud nictitant, — simul, si adnata fuerit vel longius duraverit, convulsivi motus bulbi locum habent, — quos in ficta et recenter — sic volunt — orta coecitate incauti imitantur morbum simulantes.

g) *Icterus*. In hoc album oculi an flavescat, vel non? considerandum.

3. Ad *morbos celatos*, in quibus et oculus investigandus, pertinent:

a) *Morbi contagiosi et periculosi*, pestis, febris flava, typhus variolae, scabies (vide Cap. III. §. 53), phthisis et tabes (vide Cap. III. §. 54), scorbutus, syphilis, scrophulae, arthritis (vide Cap. III. §. 55. §. 58. §. 59. §. 63.) In his enim paragraphis signa oculi in et pro his morbis enumerantur.

b) *Morbi mentales*. Vide Cap. III. §. 64.

4. Ad *morbos imputatos*, imo et ad *mutationes corporeas*, quae imputari possunt, et in quibus signa oculi respicienda sunt, pertinent:

a) *Graviditas et partus*. Vide Cap. IV. §. 68. Sect. IV. Nr. 6. et 7.

b) *Vesaniae*. Vide Cap. III. §. 64.

Sectio II. Inspectiones legales laesionum corporis et sanitatis culposarum et dolosarum.

A. Inspectiones legales laesionum.

1. Laesio, quae hebetudinem aut abolitionem visus inducit, aut jacturam oculi, gravibus adnumeratur.

2. Abolitio visus jactura unius vel utriusque oculi ex laesione, damnis permanentibus adnumeratur.

§. 70.

B. Inspectiones legales veneficiorum.

Quodvis venenum, ea dosi porrectum, ut veneficio producendo par sit, oculum mutat et signa in eo producit, quae medicus summa cum diligentia colligat, ut venenum in genere, non raro in specie cognoscat. — Sunt tamen venena, quae prae aliis notabilia, alia, quae characteristicam signa in oculo conspicienda largiuntur. De his huc sermo erit. Enumerantur in sequentibus symptomata, sub interna applicatione observata. Ubi ex alio modo adplicationis orta adducuntur, hic ubique notatur. Neque necessarium est, monere, plurima, imprimis fortiora venena, sicuti in reliquo corpore, ita etiam in oculo, quacumque via adplicantur, eadem signa inducere.

I. Venena corrosiva.

a) Regni mineralis.

1. Hydrargyrea. In specie:

Mercurius sublimatus corrosivus. In veneficio per hunc oculi scintillantes, perquam mobilis, pupilla contracta observabatur. — Verosimiliter reliqua mercurii praeparata, vi corrosiva praedita eosdem inducere valent effectus.

2. Arsenicalia, in specie:

Acidum arsenicosum s. arsenicum album. Oculi tumentes, protuberantes, illacrymati, (epiphora non raro acris) annulis lividis cincti, palpebrae magis conniven-

tes, ad marginem rubrae. Caligatio oculorum, vertigo. Obtutus ferox, anxius, desperatus, dolorem designans. Haec sunt signa, quae veneficium per arsenicum oculo largitur. — Et reliqua, plurima arsenici praeparata similem effectum producant. De *oxydulo arsenici nigro* quod praeter tremorem manuum et contorsionem bulborum provocasset, lego.

3. Antimonialia, in specie:

Tartarus emeticus. Oculi tumentes, vertigo sub veneficio per hoc praeparatum observabantur. — Omnia illa signa oculi, quae vomitum violentum praegressum indicant, in veneficio per tartarum emeticum, uti et per reliqua venena emesim moventia, inprimis in conspectum veniunt. Vide Cap. III. §. 65. Nr. 10.

4. Praeparata cupri, in specie:

Viride acris. Oculi annulo coerulescente multum conspicuo cincti.

5. Praeparata plumbi.

Post *colicam saturninam diuturnam*, vertigo, visus hebes cum capitis detentione, amaurosis observantur. Sub decursu morbi ipsius non raro flavedo sordida albuginea, obtutus oculi languidus.

6. Alcalia caustica, nonnulli sales alcalini, calx viva, murias calcis, murias barytae si veneficium induxerint, ex signa in oculo producant, quae gastritidem et enteritidem comitantur. Vide Cap. III. §. 49. — Idem valet de acidis concentratis, nec non de phosphoro.

b) *Venena corrosiva regni vegetabilis (acria aliorum)*.

1. In genere haec venena vertiginem, pupillam dilatatam et ea symptomata in oculo provocant, quae gastritidem enunciant.

2. *Anemone pratensis s. pulsatilla nigricans* (Materia anemonea). Oriuntur ex dosi justo majori praeparatorium hujus plantae dolores prurientes, terebrantes, lancinantes ad oculum, pupilla parum dilatata, iris spastice tremens, vertigo, caligo. — Ex vaporibus, quibus oculus exponebatur sub inspissatione succi tumor et rubor palpebrarum observabatur.

3. *Rhus toxicodendron*. Fontana, quum saepius folia hujus plantae tetigisset tumorem prurientem palpebrarum et reliquae faciei, qui serius humore seroso repletus fuit, in semetipso expertus est. — Notabilis virtus herbae hujus plantae in amaurosi.

4. *Euphorbium esula*. Scopoli mentionem facit individui, quod, quum palpebris clausis faciem lavasset cum succo lactescente hujus herbae, mox inflammationem oculi cum subsequa ejus jactura passum est.

5. *Aconitum camarum, napellus* etc. (materia aconitina). Vertiginem, oculos protuberantes Mathiolus ex veneficio per radicem ortos observavit.

6. *Arnica montana*. Vertiginem, sensum formicationis in orbita inducit in majori dosi. Imprimis flores fortiori acrimonia gaudent, quam secundum Mercier, *muscae arnicae*, quae floribus ova et larvas credit, debet. Magna herbae virtus in amaurosi.

7. *Alcohol, alcoholica, vinum*. — In minori dosi oculus scintillans, celer in motu, — acies ejus aucta; in majori dosi, falsi splendores, vertigo caligo, fletus involuntarius, diplopia, strabismus, obtutus fixus morosus, stupidus, somnolentus, demum somnus observantur. — In maxima dosi oculus ab illo in *apoplexia* non distinguendus. Vide Cap. III. §. 66. Nr. 20–29. Huc et visio fallax animalculorum diversorum, murium, glirium, felium pertinet, de qua illi, qui delirio tremente seu lento veneficio per alcoholica laborant,

conqueruntur. — Merito enim ebrietatem altioris gradus pro veneficio, et sub hoc respectu vinum pro veneno declaramus. — Nonne enim Orientalis, quem opio furibundum, venenatum dicimus, — de Europaeo ebrio vino idem eodem jure pronuntiare possit.

8. *Camphora*. Ab initio oculus scintillans, falsi ejus splendor, obtutus fixus, vertigo, fletus involuntarius, — serius oculus languidus, somno soporoso clausus — observantur.

c) *Venena corrosiva (acria) regni animalis*.

Cantharides, *lytta vesicatoria*. — Oculi splendentes, fulgentes, rubore suffusi, convulsiva rotatio bulbi, frequens nictitatio, obtutus fixus, ferox ex abusu cantharidum oriebantur. Conf. cum signis oculi in hydrophobia Cap. III. §. 66. Nrm. 31 — 32.

II. Venena narcotica.

In genere sensilitas, acies motus oculi, humorum per eum circulatio ab initio augentur simulque turbantur, serius vero imminuuntur, retardantur, penitus delentur. Sed non semper haec, licet plerumque observanda, major incitatio locum habet. Saepe enim absque ea praegressa summae exhaustionis symptomata in oculo occurrunt. Hoc vero non tantum, et rarius tantum a diversa specie veneni et diversa dosi, sed etiam, et quidem maxima pro parte a majori vel minori reactione vitali, quum organismus vi inimicae, negative stimulantem venenarum narcoticorum opponere solet, dependet. — In priori casu incitatio et tunc demum exhaustio, in altero vero statim exhaustio in oculo in conspectum venit.

Pertinent vero ad venena narcotica, vegetabilia tantum si sulfuretum hydrogenatum ammoniacae et aci-

dum hydrocyanicum e substantia animali chemico labore composito obtinendum excipias, — respectu oculi memorabilia :

1. *Acidum hydrocyanicum et hoc acido potentia vegetabilia.* — Ex veneficio per acidum hydrocyanicum oculi fixi et insensiles evadunt. — Blumenbach, in cane per hoc acidum venenato oculum sinistrum sursum, dextrum deorsum directum et fixum invenit.

2. *Opium* (Morphium, narcotinum, acidum meconicum) et *plantae eo potentes*, e. g. papaver somniferum etc.

In nonnullis, opio in dosi, quae veneficio inducendo par est, ingesto, *ab initio* oculorum mobilium insignis splendor, conjunctivae rubor, pupillae angustatio, photophobia, varia hallucinatio visus, obtutus hilaris, ferox; *serius vero, in aliis statim ab initio* visus hebetudo, imo abolitio; obtutus languidus, tristis, somnolentus, pupilla non semper dilatata, sed et contracta, immobilis sub luce incidente, tardus bulbi, non raro prominentis et palpebrarum motus, demum oculi sopore profundo clausi inveniuntur.

3. *Hyoscyamus niger*, albus etc. (principium hyoscyaminum). Oculus fixus, obtutus ab initio ferox, serius stupidus, pupilla multum dilatata, immobilis, signa sunt, quae post abusum hyoscyami observentur. Wepfer visus hebetudinem per eum inductam in monacho observavit, ita ut hic ante veneficium optima acie oculi gaudens, nunc venenatus objecta tantum oculo armato distingueret.

4. *Datura stramonium* (Principium daturinum). Oculi fulgentes, pupilla dilatata, bulbus fixus, obtutus ferox. Serius haec cedunt exhaustionis symptomatibus et sopor palpebras claudit.

III. Venena narcotico-acria.

A. Regni vegetabilis.

1. *Atropa belladonna* (materia atropina). Bulbus prominens cum obtutu feroci vel stupido, conjunctivae lividus rubor, pupilla dilatata, immobilis, sensilitas oculi ad imum depressa, coecitas vel vero hallucinatio visus diversissima, sunt symptomata, quae veneficium per belladonnam demonstrant. Amaurosis abusui hujus veneni, nec non aliorum narcoticorum originem debet. In hoc effectu conveniunt cum amaris nonnullis. — Et ab externa applicatione succi aut solutionis extracti immediate ad oculum, pupilla amplior et visus hebes fieri solent. — Hoc et de hyoscyamo valet.

2. *Digitalis purpurea* (materia digitalina). Vertigo, scintillae ante oculos, dolor pulsans frontalis et orbitalis, pupilla amplior obtutus fixus hac planta venenata, majori in dosi ingesta producuntur.

3. *Cicuta virosa*. Inducit vertiginem, oculi caligationem, oculorum prominentium contorsionem.

4. *Secale cornutum malignum*. Pupilla multum dilatata comitatur, cataracta et amaurosis sequuntur raphaniam afebrilem et febrilem. Non tantum vero hoc, sed et abortu, ustilagine, rubigine corruptis seminibus cerealium vel germinationem ingressis, vel cum seminibus *bromi multiflori* et *lolii temulenti* commixtis morbus hic gignitur hinc et symptomata adducta originem variis hisce venenis debent.

5. *Strychnos nux vomica* (Materia strychnina). Vertigo, pupillae dilatatio post majorem dosim ingestam observantur. Wepfer visum abolitum inter symptomata hoc veneficium concomitantia numerat, et Orfila in animalibus, quibuscum experimenta cum nuce vomica

instituit, adeo celeriter alternantem palpebrarum motum observavit, ut conditionem visus dijudicare non valuerit.

B. Regni animalis.

Venenum serpentum morsu corpori, aut et vulnere aliunde adplicatum, icterum oculi, constans fere in hoc infausto casu symptoma, inducit.

§. 71.

C A P U T T E R T I U M.

Obductiones legales.

Sectio I. Inspectiones legales circa causam mortis neonatorum.

A. Obductiones legales non vitalium foetuum.

In eruendo tempore abortus praegressi respici debet simul cum aliis signis, diversus gradus evolutionis oculi foetalis et inde determinari aetas foetus ipsius.

a) *In secundo mense, sexta circiter post conceptionem septimana* adparent oculi foetales sub forma annulorum nigricantium, introrsum et deorsum deficientium, nucleum centalem albescentem gerentium. *Post aliquos vero dies annulus clauditur, sursum et deorsum linea conspicua limitatur.*

Media octava septimana oculus nondum prominere, palpebris nondum formatis haud tectus. Hae tunc temporis exiguam circularem prominentiam sistunt.

b) *In tertio mense, post octavam septimanam, palpebrae pro parte bulbum tegunt. Decima septimana* sclerotica tenuis, ita ut nigrum chorioideae pigmentum pelluceat in conspectum venit. Cornea pigmento pelliculo tegitur. — *Ad finem mensis tertii fissura palpebrarum, lineam longa, clausa invenitur.*

c) *In quarto mense.* Arcus superciliares prominere incipiunt, primis germinibus superciliarum teguntur. Palpebra superior ejusdem ac fissura palpebralis et palpebra inferior, longitudinis — ($1\frac{1}{4}$ lin.) sed hac multum latior et arcte cum ea connivens, versus medium quartum mensem conspicitur. — Prima rudimenta glandulae lacrymalis adparent. Caruncula lacrymalis, papillae et puncta lacrymalia jam conspicua. Vasculosus rubor conjunctivae, annulum rubescentem circa corneam format. Cornea albicans, quasi leucomate undiquaque obsessa, crassior quam sclerotica. Haec pure albi coloris, internam faciem rubescentem monstrat. Chorioidea in externa superficie subrubens, internam nigricantem, abluto pigmento flavam habet. Retina fibrosae structurae, reti vasculoso perreptata. — Iris annulum flavescentem parvum format; — pupilla membrana tenui mucosae consistentiae clauditur. — Corpus vitreum densius rubente membrana involvitur. — Corpus crystallinum globosum, gelatinosum opacum, rubicundum. Nervus opticus, ubi in bulbum intrat, verrucosam prominentiam format.

d) *In quinto et sexto mense.* Tarsi evolvi incipiunt, et ad margines palpebrales parvae prominentiae conspicuae fiunt. Canaliculi lacrymales permeabiles sunt. Cornea tenuior, in medio axi pellucidior. Membrana pupillaris perfecta, fere pellucida, iride tenuior, rete vasculosum gerens. — Iridis posterior superficies nigricans. — Oculus in relatione ad corpus reliquum, non amplius tam magnus, quam in prioribus mensibus.

B. Obductiones legales vitalium foetuum.

1. Signa foetus vitalis, praematurus vel maturus partu nati, quae oculus largitur, adduximus in Cap. IV. §. 68. Sect. V. et in cap. I. §. 9.

2. Ad *eruemdam mortem dubiam neonati post partum*, naturalem vel vero violentam, hanceque vel consilio maligno, vel casu infausto inductam, fere nulla dat signa oculus. — Orbita vero semper investiganda, ane instrumenti pungentis, quod hac via ad cerebrum perferri potuerat, vestigia gerat. — Ceterum oculus exsanguis, collapsus et retractus in orbitam in illis neonatis invenitur, qui mortem ex syncope, fame vel vero sanguinis jactura; — protuberans, sanguine suffusus in illis, qui mortem apoplecticam perpessi sunt.

3. Si ex *scelecto neonati an foetus maturus, aut immaturus fuerit determinandum est*, sequentia quoad orbitam notanda sunt: In *immature foetu* orbitae nec adeo magnae, nec adeo profundae, utraque propius sibi invicem admota, — parietes, quae orbitam formant retrorsum magis conniventes inveniuntur, quam in *mature*. In hoc ossa lacrymalia perfecte formata, et superficies orbitalis ossis zygomatici major, conspiciuntur.

§. 72.

Sectio II. Inspectiones tegales circa causam mortis hominis adulti.

Sequentia in hac sectione notanda :

1. Mors apoplectica, suffocativa, ex sanguinis jactura orta, sive naturalis sive violenta, quibusdam, jam ex superioribus notis, non characteristicis signis oculi mortui indicatur. Vide §. 71. B. Nr. 2.

2. In capite III. §. 66. Nr. 53. signum adductum fuit, ex oculo hydrophobia defunctorum, depromptum.

3. Laesiones, quibus oculus destruitur pro parte vel penitus, vel quibus functio ipsius tollitur plerumque ad graves, rarius ad lethales pertinent.

4. Inter illa signa, quibus sceleton humanum ab illo multum simili simiae satyri distinguitur in casu

dubio, orbitae utriusque maxima ad se invicem approximatione in animali supradicto, pertinet.

5. In determinanda aetate et varietate humana e sce-
leto reperto, sequentia respicienda :

a) In *infante* orbitae minores, sibi propius adnotae non adeo profundae sunt, quam in *adulto*. Neque, uti in hoc, parietes orbitae adeo parallele ad se invicem currunt.

b) Orbita *Aethiopsis* magis infundibiliformis est, quam illa *Europaei*, extrorsum latior, et utraque fere, uti illa simiarum ad se invicem adpropinquatur.

c) Et *nationum differentiam* docet nonnumquam orbita. — Huc orbita parva, margines ejus quadrangulares pertinent, quas in Russorum sceleto Soemmering invenit.



L i t e r a t u r a,

- Magni Hippocratis opera omnia.* Edition. curan. C. G. Kühn, tom. 3. Lips. 1825—1827, 8.
- A. Corn. Celsii medicinae lib. VIII. ex recensione Leonard-Targae, Veronae 1810, 4.*
- Hippocratis Coi et Claudii Galeni Pergameni ἀρχιατρῶν opera edit. Chart: Lutetiae Parisior. 1679, fol. XIII. volum.*
- A. Ph. Th. Paracelsi Bombast ab Hohenheim opera omnia. Vol. III. Fol. Genevae 1658.*
- Prosperi Alpini Marosticensis de praesagienda vita et morte aegrotantium lib. VII. Francofurti 1601, 8.*
- Georg. Baglivii opera omnia medico-practica et anatomica, Norimb. 1751, 4.*
- J. B. Morgagni de sedibus et causis morborum per anatomicen indagatis. Ebriduni in Helvet. 3 tom. 4. 1759.*
- L. G. Kleinii interpres clinicus. Lips. 1826. 12.*
- J. G. Brendelii opuscula mathematica et medica, ed. Wrisberg. 3 tom. 4. Goetting. 1766—1775.*
- G. van Swieten commentaria in H. Boërhave aphorismos. Lugd. Batav. 1742—1772. tom. 5. 4to.*
- J. Huxham opera physico-medica, curant. Reichel, Lipsiae 1784, tom. 3.—8.*
- M. Stoll ratio medendi in nosocomio practico Vindobonensi, 7 part. 8. Vienn. 1788—1794.*
- Ch. G. Bruner physiologische und pathologische Zeichenlehre, Gotha 1801, 8.*
- F. G. Danz: allgemeine medizinische Zeichenlehre; neu bearbeitet von Heinroth. Leipzig 1812, 8.*
- Lebenstein-Löbel: Grundriß der Semiologie des Auges für Ärzte. Jena 1817.*

Séméiotique, ou traité des signes des maladies, par A. J. Landré - Beauvais; à Paris 1818, 8.

J. B. Friedreich: Handbuch der pathologischen Zeichenlehre. Würzburg 1825. 8.

J. C. Lavater's Physiognomie. Wien 1829. 4 Bde. 8.

M. P. Orfila: allgemeine Toxikologie, nach dem Französischen, mit Zusätzen und Anmerkungen begleitet von C. F. Hermbstädt. Berlin 1818 — 1819. 4 The. 8.

Joh. Nep. Ebl. von Raimann: Handbuch der speciellen medicinischen Pathologie und Therapie. 2 2 de. 8. Wien 1816.

Bernt: Systematisches Handbuch der gerichtl. Arzneykunde. Wien 1828. 8.

X. Rosaß: Handbuch der theoretischen und praktischen Augenheilkunde. Wien 1830. 3 Bde. 8.





DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
PESTE ORIENTALI.

Quam

Consensu et Auctoritate

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI

PRAESIDIS AC DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI DECANI,

nec non

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

pro

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

SUMMISQUE IN ARTE SALUTIFERA HONORIBUS AC
PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME

CONSEQUENDIS,

publicae disquisitioni submittit

Marcus Marchand,

Constantinopolitanus.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis acdibus.

VINDOBONAE,

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

MDCCCXXI.